ANTI BOS SICON



ASBOLVS AGRIGENTINVS.
AD LECTOREM.

Quod latet in Bosso, quicunque hæc legeris hospes,
Ne forte ignores, hoc tibi carmen habe.
Vrbs est Londinum populis opibusq; superba,
Quam supra reliquas ANGLIA iure colit.
Hic tibi qua portus Belini est, sculptilis ursa
Rauca ciet scatebris murmura dulcis aquæ.
Nuncupat hanc uulgus Bossam cognomine, quo nil
Crebrius ore suo grex muliebris habet.
Nomen enim Bossæ crebro uolat hinc uolat illinc,
Dum furit, et turpis iurgia lingua serit.
Deperit hanc adeo quidam, ut sua nomina mutet
Et dici Bossum se patiatur amans.
Nec facit hoc temere, quum sit memorabile dictum
Consimilem semper quærere quenq; sui.
Illaq; dicatur multo dignissima coniux,
Ingenio si qua conuenit apta uiri.
Est Bossus Bossa dignus mihi crede maritus,
Est coniux Bosso Bossaq; digna uiro.
Aufer de Bosso tantum discrimina uitæ,
Iam melior Bossa non erit ille sua.
Hoc facile et poteris collatis discere Bossis,
Dicere me uerum, res tibi testis erit.
Bossa ut iners moles, sic Bossus inutile pondus,
Quamq; feram Bossa, hanc Bossus et ipse refert.

Nil animi Bossæ, tantundem cordis et altri.
Marmoreumq; caput Bossus, ut illa gerit.
Vt more humano nihil hæc, sic nil sapit ille.
Iudicium neutri est. Brutus utriq; stupor.
Bossum ut Pierides, sic Bossam odere puellæ,
Nec Bossus Bossa dulcius ore canit.
Bossa suis scatebris ursino murmure stridet,
Vrsino fremitu Bossus ubiq; strepit.
Et miseros pariter uicinos uexat uterq;,
Hæc undis strepitans, ructibus ille crepans.
Perpetuo Bossusque et Bossa uomunt, etiamsi
Diuersum uomitus insit utriq; genus.
Nanq; latex purus Bossæ permanat ab ore,
Quo sordes purgat, membraq; sana fouet.
Euomit at Bossus sordes, quibus imbuit omnes,
Et puerum simplex inficit ingenium.
Iam miserata procum gremio charissima molli
Suscipe, et amplexu comprime Bossa uirum.
Basia tum repetita quidem, sed fortiter infer,
Vt maneant Bossi pressa sigilla labris.
Et quoties Bossus patulo maledicit hiatu,
Ter quater impingas basia Bossa precor.

ICHNOBATES GNOSIVS IN BOSSVM.

Producit

Producit uarias monſtrorum terra figuras,
  Sphingas uilloſas fert regio Aethiopum.
Theſſala centauros, Tellus æthnæa cyclopas.
  Vltima tergeminum Geryonem Heſperia.
Antæum Lybie, taurum dat Creta biformem,
  Lerna Palus hydram, mons Erymanthus aprum,
Harpyiam Strophades. Te Boſſe Britannia, maior
  Belua qua ſylua nulla Caledonia.

LADON SICYONIVS

Caliſto inuitam fera Iuno uertit in urſam,
  Boſſus at ipſe ſua ſponte fit urſus atrox.
Vrſam ſe dici Caliſto mœſta dolebat,
  Vrſum ſe dici nomine Boſſus auet.
Ipſa ſuum crimen Caliſto protinus odit.
  Tutatur crimen Boſſus amatque ſuum.
Inter Caliſto cæleſtia ſydera lucet,
  In tenebris uitæ tempora Boſſus agit.

POEMENIS DALMATA

Quod fundis nimium libros o Boſſe procaces,
  Quorum ſunt uarijs ſordida membra notis.
Dicam quanta tibi quæſita hinc gloria, dicam
  Sint data pro meritis præmia quanta tuis.
Nocturna fueras qui quondam obſcurior umbra,
  Es nunc in medio fabula clara foro.

Dromas

DROMAS MEGARENSIS.

Facundos quid Bosse uiros tam saepe trucidas?
Cur bona tam temere negligis ingenia?
Tu tibi (nescio quos) ignaros quaere puellos,
Versiculo certes quos superare tuo.
Inq; tui similes istum meditare furorem,
Docta uiris doctis sola Camoena placet.

LABROS LACEDAEMONIVS.

Dedecus immensum pariunt tibi carmina Bosse,
Pauli quae foribus figis inepta tuis.
Squallida, manca, rudis, tua musula cespitat, et te
Inuidiae accusat, stultitiaeque simul.

HARPALOS HERDORIENSIS.

Si cupis ut quisq; doctum te Bosse poetam
Iudicet, et libros tollat in astra tuos,
Regem quaere Midam, quo iudice Marsia pastor
Censetur Phoebo doctior esse deo.

THERON THESSALVS

Vnde tibi tam dira fames o Bosse nocendi,
Vt lacerans doctos uiscera nuda uores.
Qui miseros artus hominum laceratq; uoratque,
Hunc Anthropophagum dicere iure licet.

GVIL.

GVILIELMI LILII IN AENIGMATA BOSSI ANTIBOSSICON PRIMVM.

AD GVIL. HORMANVM.

NOn te Hormane latet, tua quod uulgaria nuper
Laudauit paucis nostra Camœna sonis.
Inuidet hanc laudem tibi quidam barbarus hospes,
Inuidet et nostrum carmen habere locum.
Nec tantum lingua, qua nil petulantius una,
Verum etiam numeris carpit utrunque malis.
Nunc foribus PAVLI figit sua murmura sacris,
Ebria nunc inter pocula gannit atrox.
Si quæras nomen, non uult hoc ipse fateri,
Probrosum nosci scit nimis esse sibi.
Se Bossum appellat ficto cognomine, uerum
Cęlans, stultitiæ conscius ipse suæ.
Monstrari digito nimium sibi turpe putauit,
Quem praui sceleris crimina tanta notant.
Supprimat at quamuis nomen tam degener author,
Supprimere authoris crimina nemo potest.
Nam modo quæ foribus fixit stolidissima templi,
Seruantur foricis omnia clausa meis.
Vtque scias uoces quales derudit asellus,
Illius hic infra sex lege uersiculos.

Si bene

Si bene perspicias est hic tibi sermo duorum,
Inque uicem blaterant Meuius et Bauius.
Quæ mala sint Bauij, quæ sint mala murmura Meui
Indicat en digitis charta notata meis.

Bossus

Bauius
Doctrine est censor cantatus Lilius. Meuius Ohe
Bauius
Hunc licitatorem Cherylus alter habet
Meuius
Mercibz at nostin quibz. Bauius Ipsi vix sibi querunt

Quas pueri Hormani (noscito cuncta) nugiferis
Meuius
Merx sua scin quanti datur? Bauius Octo octussibz. Meuius Eheu.

Lais cara nimis dat penitere procis

LILIVS.

Nonne uides quanta scabie miser iste laboret
Bossus? quot foedis foeteat ulceribus.
Vix huic Phillyrides, uix huic cum fratre Machaon,
Vix potis est ullam ferre Epidaurus opem.
Ergo HORMANE precor, non te deterreat unquam
Stultiloqui Bossi barbara colluuies.
Nec tibi diffidas ideo, nec scribere cesses,
Quod lacerat libros improba lingua tuos.

Quo

Quo magis insultat rabido mens liuida morsu,
Hoc magis accrescet lausq; decusq; tibi.
Zoilus Altiloquũ carpebat ineptus HOMERVM,
Vexabat Bauius dulce MARONIS opus.
Attamen a doctis censetur clarus HOMERVS,
Dignus et æternum nomen habere MARO.
Doctus ab ignauo cœtu laceratur ERASMVS,
Et tamen huic sæclo lumen ERASMVS erit.
Verum age, qui nuper uerbis te obleuit iniquis,
Et studuit nomen contemerare meum.
Nunc damnandus adest, Phœbo censore seuero,
Vt nobis laqueum, quem parat, ipse ferat.
Sum licitator ego dictus. Tu Chœrilus alter. Hunc licitatorem Chœrilus alter habet.
Nec temere credit nomina tanta dari.
En licitatorem uocitat me, non quia libro
Imposui precium, sed quia laudo librum.
Censet enim licitari pro laudare decenter
Poni. Iudicium non leue Bossus habet.
Chœrilum item uatem dicit te, non quia condis
Astrictus numeris, sed pede liber opus.
Chœrilus ob carmen tantum reputatur ineptus,
Carmina sunt scriptis nulla reperta tuis.
Conuenit ergo magis nomen tam uatis inepti
Bosso, qui nobis carmina inepta facit,
Imo qui ignorat, puer ut rudis, et puer infans,
Qua depingatur syllaba quæq; nota.

Chœrilus in prima diphthongum œ dictio poſcit,
Poſcit et in media ſyllaba, iota ſibi.
Hic pro œ dipthongo, ſimplex uocalis inepte:
Pro iota et poſita eſt littera Pythagoræ.
Quin etiam motus animi quot monſtret inanes,
Tam paucis numeris, ſcire operæprecium eſt.

Boſſi tibicines.

Nunc ſcin, nunc noſtin, nunc noſcito cūcta ſuꝑbus,
Nunc lachrymās heuheu, nunc ſatur inquit ohe.
Tu quoqꝫ ſi quartum quæras ex ordine uerſum,
Ridendi cauſas, materiamqꝫ dabit.

Quas pueri Hormāi noſcito cuncta nugiferis.

Eſt ſenſu ambiguus, pede claudus, frigidus, aſper,
Longior et toto ſtans grege ſeſquipede.
Quid referā quintus? quod habet ſua crimina uerſus
Si modo quæ garrit ſingula rite notes.

Merx ſua ſcin quanti datur? octo octuſſibus heu heu.

Pars prior eſt Boſſi, pars altera uatis Horati,
Quæ duo plectra ſimul q̄ male iuncta ſonant.
Deniqꝫ quid referam? quod ſextus et ultimus omni
Ex numero uerſus, non ſine ſorde fluit.

Lais cara nimis dat penitere procis

Pœnitet a Boſſo cenſetur dictio, primam
Eſt quia diphthongus, ſyllabam habere breuem.
Nonne putas ſapere hunc, et dignum uatis honore
Dicere, qui fatuus ſyllaba quanta nequit?
Ne dubitet prima an breuis, an ſit ſyllaba longa,
Saltem huius uerbi pœnitet, iſta legat.
Iſta legat ueterum dicta, ut penitus fateatur.
Se ſiculis gerris ædere uana magis.

Nec te pœniteat, Musa est præclara Maronis:
Nec te pœniteat, Musa Tibulle tua est.
Pœnituit tolerare sitim Lucanus: et inquit
Pœnitet ingenij NASO poeta mei.
Nil te pœniteat Flaccus, nil pœnitet inter
Prælia uolsinos, non male Nauta canit.
Pœniteat iurasse deam, sic Statius infert,
Teque ut pœniteat, ipse Catullus ait.
Pœnitet obscœnæ pruriginis, ecce poema
Vatis, quem clarum Bilbilis alta canit.
Verba hæc quid taceam Iuuenalis? sero duelli
Pœnitet, et multos deniq; pœnituit.
Si non sufficiunt Bosso monumenta tot uni,
Discat Alexandri qualiacunq; sui.
Pœnitet, & tedet, miseret, pudet, et piget, heuheu
Cernere tot Bossum sordibus implicitum.

ANTIBOSSICI PRI
MI FINIS.



MELAMPVS SPARTANVS.

Heus ursus ne es quem uideo? Sum. Belua cuius?
Belini. Nomen dicito. Bossus ego.
Cur agitat te turba canum? Soleo quia doctos
Lædere. Quid docti commeruere? Nihil.
Ergo cur lædis? Dominæ compulsus amore,
Qua mihi non ulla est dulcior. Inuidiæ
Inuidia ipsa suo sese gladio necat. Ergo
Tu simili fato ne moriare, caue.

ORIBASVS HOSTIENSIS

Quamuis iam senio confectus sim canis, et me
Dente putas ursis posse nocere parum.
Tu tamen insanos animi compesce furores:
Dens mihi nam superest non leue robur habens.

LAELAPS LANGENSIS

Desine si sapias frustra tua tempora perdis,
Dum certas celebres rodere dente uiros.
Ecce tui sceleris iamiam dabis improbe pœnas:
Iamq; feres iaculis uulnera facta tuis.

MELANEVS COLOPHONIVS

Pestiferos morbos chirurgi falce recidunt,
Syncæram partem ne trahat atra lues.
At tibi si morbos quis falce recideret, ægrum
Te penitus totum tolleret e medio.

Lycisca

LYCISCA CALCYDENSIS

Venerat Oxoniam liber, ut tua murmura iactet,
Hinc Cantabrigiam uenerat ipſe liber.
Docta tuos legit hæc, legit illa academia uerſus,
Vtraqꝫ ridet, opus tam rude neutra probat.

HYLAS MENALIVS.

Vis, ut de Boſſi dicam quod ſentio libro,
Non eſt ille ſuo diſſimilis domino.

THERIDAMAS IOPPETANVS.

Plurima quum ſcribas epigrammata: nec ſit honeſta,
Nec ſatis ulla tuo pagina docta libro.
Attamen eximium te iactas Boſſe poetam,
Et Phœbo credis te miſer eſſe parem.
Quales Acteon Triuiæ, uel Marſia Phœbo,
Tales iam pœnas tu mihi Boſſe dabis.

PTERELAS THREICIVS

Boſſe quid inſultas? quid criſtas tollis inepte?
Quid ſtultum iactas ſtultior ipſe librum?
Si liber, ut credis, doctusqꝫ bonusqꝫ uidetur,
Cur doctus probat hunc obſecro nemo librum?

GVILIELMI LILII IN AENIGMATA BOSSI ANTIBOSSICON SECVNDVM.

AD GVIL. HORMANVM.

QVIS non miretur ueteres Hormane poetas
Tam doctos olim concinuisse modos?
Orpheus Threicius dulci modulamine uocis
Mulcebat syluas, flumina, saxa, feras.
Tam scite Aeaciden cæcus descripsit Homerus.
Pingere Apelleæ q̄ potuere manus.
Struxerat Amphion sacra testudine Thebas.
Fertur Arioniam piscis amasse lyram.
Mira quidē sunt hæc, tamen his HORMANE diserte
Mira magis Bossus concinit iste meus.
Idq; magis dicas, si quod per compita de me
Nunc iterum fudit sacrum epigramma legēs.
Non tantam ueteres laudem meruere, decusq;
Versiculis: quantum dedecus iste sibi.
Namque ut omittamus fœdæ conuitia linguæ,
Illius errores quis numerare potest?
Ordo, lepos, splendor, sensus, iunctura, decorum
In toto nusq̄ carmine conspicitur.
Ac ne te longo nimium sermone fatigem,
Illius hic infra perlege, carmen habes.

Carmen habes Boſſi, noſtra id reſponſa ſequuntur,
Qualia ſed Boſſo ſint ſatis apta meo.

Boſſus

Noctu Batte lates. dignã te ringis in Arcton
Hanc fruſtra ſpolies. lumine Batte latrans

LILIVS.

QVID toties nomen mutas o Boſſe? quid arcton
Pro Boſſo imponi nunc tibi quæſo paras?
Nil certe refert, Boſſus ne uoceris, an Arctos.
Vrſum te dici nomen utrunqꝫ docet.
Nec tibi uera magis poteras dare, nec magis apta
Nomina: conueniunt moribus iſta tuis.
Hæc lacerat toruo pecudes fera Bęlua rictu.
Inſontem tu me non minus ore ferox.
Informes nimium catuli ſunt quos parit Arctos:
Eſt informe magis carmen ubiqꝫ tuum.
Quæ ne forte putes me fingere uana, libellos
Diſcute Boſſe tuos, quid precor intus habent?
Scyllas, Cyclopas, Centauros, Gorgonas, atqꝫ
Monſtrorum quicquid barbara terra parit.
Noctu Batte lates, o pulchrum et nobile carmen, *Noctu Batte lates.*
Egregie o uates dic precor hoc ne tuum eſt?
Diſperеam ſi tu, cur hic ſit mentio facta
De Batto, aut poterit dicere Apollo tuus.
Tu mihi forte canem dices hic ſignificari.
Vt docet appoſitum. Lumine Batte latrans. *Lumine batte latrans.*

Scilicet

Scilicet imponis perbella uocabula rebus.
Nonne et diſcipulis præcipis iſta tuis?
Battus erat paſtor, Battus rex, atq; poeta, Battus.
Noſtri hæc maiores ſignificata probant.
Si fieri ex paſtore canem, aut ex rege licebit,
Cur non ex Boſſo Cercopithecus erit?
Altera pars uerſus. Dignam te ringis in Arcton. Dignã te ringis in Arctõ
Te dignum cenſet uerbere multiplici.
Hanc fruſtra ſpolies. Eiuſdem Maſſa farinæ, Hãc fruſtra ſpolies.
In ſe nil ueneris, nil ue decoris habens.
Lumine Batte latrans. O monſtrũ Gorgone maius: Lumine batte latrans.
Et dignum laceret dente quod Ichnobates.
Dic ubi Boſſe legis, latrare in carmine primam
Corripere? An docet hoc te tua grammatica?
Exprobrat hoc uitium ter proles clauda parenti,
Quæ tibi tam ſimilis prodijt Antilycon. Antilycon.
Antilycon cui ſunt plures in corpore mendæ,
Quam fuerant Argo lumina Ariſtoridæ.
Pharmacon haud melius tibi q̃ conſtantia, ringat, verſus Boſſi
Oblatret, ac hululet, ſeuiat, hæc tua ſunt.
In nitidam Phœben fruſtra latrat atra lyciſca,
Sunt tua; et hæc tua ſunt. Sic latrat ecce Lycos.
Tu male dum latras: latrat te Boſſe Lyciſca,
Et canis in noſtro limine latrat Hylas.
Omnia ſi quæras antiqua uolumina uatum,
Quot probat et ſacros ROMA diſerta uiros:

Latrare

Latrare.

Latrare inuenies primam producere semper.
Authores melius consule Bosse tuos.

Arctos.

Verum age dic rursus, quia gaudes dicier Arctos,
Arctos quæ sexum dictio utrunq; notat.
Cuius eris generis? Mas an sis fœmina, nemo est
Qui dicat: neutrum ni genus esse uelis.
Tu garris græce, latijs quasi turpe sit uti
Vocibus: aut quasi sit lingua latina nihil.
Sic tua uenator non lædat uiscera ferro
Sic nunq̄ latrent te fera turba canes.
Desine ructari græca: atque effare latine
An dici malis ursus, an ursa mihi.

Bossus

Bombes nocte volans Scarabeus. at heus vbi sides
Hem, nostin. quoquo. noctua cogit auis.

LILIVS

Bombes nocte volans.

Bombes nocte uolans, legat hæc quicunq; disertus,
Nil præter bombos sentiet esse tibi.

Bombare.

Nam Bombare, nec est uerbum Bombere latinum,
Nec bene, quæ ueterum sint monumenta tenes.
Bombilo dicendum uates monet, accipe carmen,
Bombilat ore legens munera mellis apes.
¶ Attamen hæc inter, quæ tot mala carmina pangis,
Vnum est egregie, quod mihi Bosse placet.

At heus ubi sides hem nostin quo quo, &c.

Quis non ista libens audiret, At heus, ubi sides,
Hem, nostin, quoquo, noctua cogit auis.

Heus,

Heus, ubi, at, hem, nostin, quoquo, tot carmine i uno
Non legit quisq̃ uerbula bella puto.
Heus, ubi, at, hem, nostin, quoquo, si uiueret, ista
Rideret quantum carmina Democritus.
Heus, ubi, at, hem, nostin, quoquo, sunt carmina Bossi
Non meliora quibus noctua cantat auis.

Bossus

Empta dolore nocet Lais. cure haud sibi si te
Peniteat longo tempore siue breui.

LILIVS

Imo pœniteat semper te carminis huius,
Lais cara nimis dat pœnitere procis.
Et te pœniteat sine causa me lacerasse, — Bossi pentameter.
HORMANI et cultis obstrepuisse libris.
Quos tu dum fœdus fœda cum Laide confers,
Incestus peragunt te tua dicta reum.
Namque ut Lais erat pura (id fateare necesse est)
Ante fuit turpi q̃ sociata thoro.
Sic etat Hormani purus liber, et sine menda,
Ante tuis probris q̃ uitiatus erat.
Cuius sit dictum, nocet empta dolore uoluptas, — Nocet ẽpta dolore &c.
Nouerunt Flacci qui didicere sales.
Cuius sit dictum, superest, quod tam male natum, — Cure haud sibi si te &c.
Quis non olfaciat, qui legat esse tuum?

Bossus.

Te prius elinguem beat Arctos, ecce bilinguem
Lingua loquar: Fabium lassitet usque tua

LILIVS.

Me Bosse elinguem fingis, simul atque loquacem,
Ergo ego, qui mutus sum, scio uerba loqui.
Mutum uerba loqui, nonne est symphonia dulcis?
Nonne hæc Musa tuis sat placet auriculis?
Beat arctos ecce biliguē
Præterea hoc nomen græcum cur claudicat Arctos?
Syllaba cur longa est ultima facta pedis?
Esse breuem monstrat Nasonis epistola dicens.
Quo genita est liquidis quæ caret Arctos aquis.
Lassito. Vexito.
Quid memorem a lasso uerbum quod lassito formas,
Ballus ut a uexo uexito, utrunque nouum.
Linguam ditarant latiam Cato et Ennius: ergo
Et Bosso et Ballo nonne licebit idem?
Quid loquar et Fabium? quem gannis esse bilinguē,
Verbis mutatis, ut tua furta tegas?
Nam pro lasso lassito, proque loquace bilinguem
Ponis: Horatij ut hic non male sermo docet.
Horatij verba.
Cætera de genere hoc adeo sunt multa, loquacem
Lassare ut ualeant Stoiciden Fabium.

Bossus

Heu miser inopie repetis mendicus amicos
Tete inopem fecit copia spurca tui

LILIVS

Quam fatuus, q̃ mentis inops, q̃ sis male sanus
  Verba hæc demonstrant, heu miser inopiæ.
Hæc etenim breuis est, In, uocula præpositiua,
  Communem fieri quam tua scripta uoluat.
Copia et ingenij tibi quanta sit, indicat illud,
  Tete inopem fecit copia spurca tui.
Copia spurca tui facit, ut non ipse libenter,
  Quem spurcum uocitas, tecum habitare uelim.
Copia spurca tui facit, ut te pura Thalia
  Deserat: et miserum putida Thais amet.
Obscœnis tua uerba notant me moribus esse.
  Mores mitte meos, inspice Bosse tuos.

Bossus

Bossicon unde rapis. nimis o tu grecule furue
  Siccine greca sapis qui male torta paris.

LILIVS

Hoc etiam quæris raptum sit Bossicon unde?
  Bossicon a Bosso quis neget esse satum?
Bossicon a Bosso bene ductum more pelasgo est.
  Quamuis sit Bossus barbara progenies.
Sed te per superos obtestor et oro uicissim
  Hoc unum nobis si potes expedias
An liceat cuiq̃ græcos depingere furuos,
  Gens quasi sit toruo concolor Aethiopi?
Quicquid ab ore tuo fluit, aut furuum, aut fluit atrũ,
  Nil profers toto carmine candidulum.

Heu miser inopiæ. In

Teteinopẽ fecit.

Bossicon vnde.

Nimis o tu græcule furue.

Bossus

Sordefluis calami[illegible]. linguax Lucilius alter
V. C. si demas, Lilius exit iners.

LILIVS

Carpitur a Bosso Lucilius ille poeta,
Quem satyra primum Roma diserta colit,
Cuius uel grauitas Iuuenali summa placebat:
Cuius commendat Quintilianus opus.
Quem comem, urbanũ, quem elimatum, sapientem,
Laudibus extollens, hæc Venusinus ait.
Versus Horatij. Hærentem capiti multa cum laude coronam
Illi non ausim ceu minor eripere.
Esto ꝙ fluere hunc lutulentum dixit, id uni
Quod licuit Flacco, non tibi Bosse licet.
Non tibi uis eadem doctrinæ, aut gratia linguæ,
Ingenium tribuit nec tibi Pallas idem.
Vtq; magis rabiem satures, me nomen habere
Ductum de uatis nomine deblateras.
Linguax Lucilius alter: Scribis enim uerba hæc. Linguax Lucilius alter
V, C, si demas Lilius exit iners.
Nomine sic Bossus dissecto Bos erit et Sus.
Paucis mutatis, Bossus erit Bauius.

Bossus

Quid capiti assuetis. teneas qui obganniet aurem
Viuentis, tute hoc condito scriniolis.

LILIVS

Quid

Quid capiti assueris, Thebanæ ænigma puellæ, Quid capiti assueris.
Quale nec OEdipodis solueret ingenium.
Quanto perspicua est magis ipsa oratio, tanto Quintiliani uerba.
Pulchrior, et laudis munere digna magis.
Contra si obscura est, eget aut interprete, docto
Si Fabio credas, est uitiosa nimis.
Insuper hoc dictum, teneas qui obganniet aurem.
Nescio quid fatuum gannit et insipidum.
Obgãnire aurem nusquã, sed in aurem, et ad aurem Teneas qui obganniet aurem.
Obgannire, locis pluribus inuenio.
Stat contra ratio, et secretam gannit in aurem.
Persius hoc carmen te monet esse suum.
Phormio item parasitus, ad aurem obgãniat inquit,
Comicus hoc carmen te monet esse suum.
Hũc foetum informem melius nisi Bosse relambas,
Vrcelli nunq̃ proferet effigiem.

BOSSUS

Et te peniteat quoties contorsit in Ibin
Penitet hoc miseris Naso precando modis.

LILIUS

Et te poeniteat miserum hoc fecisse poema,
In quo nil præterq̃ Labyrinthus inest.
Dic mihi, si poteris, quoties contorsit in Ibin,
Poenitet hoc scriptis Naso poeta suis.
Si totum scruteris opus, quod scripsit in Ibin,
Hoc dictum nullo carmine comperies.

Poenitet

Pœnitet.

Pœnitet hoc, etiam sensum deprauat, et omnem
Pœnitet hoc, tollit carminis effigiem:
Pœnitet hoc, si Bosse sapis, noli amplius uti.
Pœnitet, infausta est uox nimis ista tibi.
Est infausta nimis, testatur non modo musa hæc,
Laïs cara nimis dat pœnitere procis,
Ast etiam uerbis de impersonalibus una,
Qua non ulla magis regula ridicula.
Hæc pœnitet, tedet, miseretque, pudetque, pigetque:
Torta et nota tuæ regula grammaticæ.

Bossi pentameter.

Bossi hexameter.

ANTIBOSSICI SECVNDI FINIS.

PAMPHAGVS ARCAS.

Exornet cælum geminis quum Iuppiter ursis,
Nec plures regno est passus inesse suo.
De isto quid faciet Bosso, qui dicitur Arctos?
Obscura hunc fratris mittat in antra sui,
Scilicet ut toruis faciat spectacula monstris,
Belua tartareo dilaceranda Cani.



AGRIADOS APPVLVS

Carmina qui Pauli foribus sine nomine figis,
Id facis ut nulli coguitus esse queas.
Re puto dissimili, similis cupis esse MARONI,
Et tua uis tacito nomine scripta legi.
Sed licet imponas alijs, mihi notus abunde es,
Quem simul et uitam pagina parua docet.
Indoctum illa refert, et adhuc quæ quisq; puellus
Scire solet passim, te didicisse parum.
Nempe tuus claudo graditur pede uersus ubiq;:
Atq; caret iusta syllaba quæq; mora.
Sensus inest nullus, nisi qui malus, hic quoq; durus,
Barbarior Mauris, barbariorq; Getis.
Qui tibi sint mores, certis hinc colligo signis:
Qz damnas, cunctis qui probitate placet.
Sed neq; sic lædis: nam quo tibi displicet uni,
Cur placeat cunctis arbitror esse bonis.
En nobis scelerate pates inuitus, idemq;
Te faciet reliquis nostra Thalia uiris

AELLO CASTABALENSIS

Se puer illimi uidit Narcissus in unda,
Et perijt formæ captus amore suæ.
Si tibi Bosse tui faciem fons redderet ullus,
Te iam conficerent odia iusta tui.
Agnosces quandam nostris in uersibus umbram
Bosse tui, fontis qui tibi sunto uice.

AGRE GARAMANTIS

Quis te Bosse sacro Phœbi decorauit honore?
Quis uates inter iussit habere locum?
Dicetur uatis dumtaxat dignus honore,
Qui sua Castalijs labra rigauit aquis.
Tu non Castalios fontes: sed faucibus atris
Hausisti AEthiopes (res manifesta) lacus.

MELANCHETES ALBANVS

Quid tandem de te censes o Bosse futurum?
Quum te dilaceret tam uiolenta manus.
Occupat inualidum caput hic: canis alter inhæret
Cruribus: hic humeros impetit: ille latus:
Desperanda tibi penitus uictoria: si nec
Vincere fulmineo dente, nec ungue potes.

TIGRIS HYRCANA.

Monstrifero sæuis adeo cur Belua rictu,
Quod possis superest præter obire, nihil
Pocula conducent nil Circes mixta ueneno:
Nulla Machaonia spes erit arte data.
Attamen ut maneat tibi rapto fama perennis,
Fac scribas tumulo talia uerba tuo.
Hic situs est Bossus tetri liuoris alumnus,
Dente bonos solitus dilacerare uiros.

LACHNE CYPRIA

Optat Apollineæ quod Bossus munera Lauri
Ne mireris, iners optat ephippia Bos.

DORCEVS ARCAS

Quid iuuat eximium te uatem dicere Bosse?
Quum tibi conueniant nomina nulla minus.
Est uates qui scit numerosos ludere uersus,
Vates cui plenum carmen ab ore fluit.
At tu dispeream si carmen scripseris unum,
Quod referat docti carminis effigiem.

NEBROPHONOS PHRY GIVS

Abs te carminibus tam fœdis Bosse petitus,
Miraris possim quod retinere manus.
Stercora non tangam, ne forte coinquiner, et ne
Aufugiam Bossi læsus odore graui.

CANACHE CYRENENSIS

Barbara sint quamuis tua carmina: sunt tamen arma
Armis Pelidæ perniciosa magis.
Pelides hasta, doctus, tu lædere lingua,
Vulnerat hasta uiros, lingua uenenat atrox.
Hasta igitur lædas, forsan sanabitur ictus,
Sanari linguæ uulnere nemo potest.

LEVCON CAPPADOX

Quum ſine corde tuum ſordeſcat pectus inane,
Nec tibi ſint nerui, nec tibi firma cutis.
Nec digitos arment ungues, nec dens tibi fauces,
Nec miſeram muſcam uiribus æquiperes.
Paruus at ipſe culex, te uincat acumine morſus,
Vt graphice pinxit te tuus ipſe ſtilus.
Salſa quidem res eſt, urſi quod nomine pugnas
Vana quaſi armorum perderet umbra uiros.
Sed tibi ne fruſtra ſit formidabile nomen,
Horrida per tenebras murmura prome feræ.
Sic ſimul adiutus tenebris, et uoce, puellos
Deterrere potes, LILIVS haud puer eſt.

ORESITROPHVS
VMBER.

Vis dici laurus, uis dici Boſſe poeta
Et cingis lauro tempora fatidica?
Vis ne tuis dicam nomen ſat moribus aptum?
Vanus homo es, nec te uanior eſſe poteſt.

THOVS MOLOSSVS

Quid te nunc tandem facturum Boſſe putemus?
In te quum uideas tot ſimul irruere.
Linquere non ſolum patrios cogere penates,
Sed Latium fugies pulſus ad uſque Getas.

ANVBIS CYNOPOLITANVS

Si non lingua nimis petulans tibi Bosse fuisset:
Si non taxasset sanguinolenta uiros,
Nemo tuum passim laceraret carmine nomen:
Nec populi de te fabula tanta foret.
Deniq; non legeres, quæ nunc epigrammata cernis:
Nec gereres fronti stigmata pressa tuæ.
Ergo iam sapias : iam sis moderatior : et iam
Discas Bosse tuis cautior esse malis.

NAPE NARBONENSIS

Non miror Bossum, non arridere peritis:
Eius deridet uulgus inane libros.

ISSA PVBLII

Affert Bosse tuus nobis ænigma libellus,
Quod nisi tu soluas soluere nemo potest.

LACON

Si quis Bosse tuo numeraret uulnera dorso,
Vix inueniret, quam tibi ferret opem.

STICTE LICHFELDIENSIS

Quod dicis prothos, quum debes dicere protos?
Hoc te non proton, indicat esse satis.

GVIL.

GVILIELMI LILII IN AENIGMA TA BOSSI ANTIBOSSI CON TERTI VM.

AD GVIL. HORMANVM.

TERTIVS ad pugnam iam me rapit iste libellus
Liuoris soliti murmura dira uomens.
Cuius si rogites fuerit uir amice quis author,
Ipse quidem Bossus, qui prius author erat.
Id tria demonstrant, stilus ipse, oratio, et ipsa
Littera, quæ semper una eademq; manet.
Qui quoties scribit, mutans sua nomina, fictis
Me ueluti Proteus ludit imaginibus.
Quiq; parum reputans, bis quod sit Marte repulsus,
Tertia quid referant prælia, nosse iuuat.
At quia nil cernit nostro quod carmine tangat,
Callidus obiectat crimina ficta mihi.
Me laurum uiolare sacram, lauro minitari, Bossi calumnia.
Et Lauro tricas tendere nescio quas.
Scilicet his technis credit me terga daturum.
Vt qui non ausim conseruisse manus.
Non ego dum ursus adest ursi uestigia quæro, Adagium.
Mordeo nec saxum læsus ut ore canis.
Nec tanti facio laurum quem iactat inanem,
Vt me traduci tam leui ab hoste sinam.

Cuius

Cuius si trutinat quis recte carmina, carmen
Vix unum inueniat, quod putet esse bonum.

Bossus

Quam nobis cupias Lili tibi mitto salutem
Optoq; sit potior q̃ mihi fama refert.

LILIVS.

Horatij uerba.

Aut prodesse uolunt, aut delectare poetæ,
Flaccus ait, neutrum tu facis, idq; patet.
Distichon hoc præsens si nectas Bosse sequenti,
Qualis uerborum dicito sensus erit?
Sensus Cimmerijs erit aut obscurior umbris,
Aut sensus, Phœbo iudice, nullus erit.

Bossus

Fama refert laurum que inter syluas Achademi
Phoebo prima feris te violasse modis.

LILIVS

Fama refert laurum (sic inquis) me uiolasse.
Iste mihi sensum fert locus ambiguum.
Nanque utrum laurus me, an ego laurum uiolârim,
Conijcere ex dictis his bene nemo potest.

Academus.

Te quoq; nec lauro, quæ inter syluas Academi
Phœbo prima uiret, dignum Academus ait.

Quisquis enim fuerat qui te Alpha et Beta docebat.
Primus & ex rudibus cudere uerba notis.
Aut nimis indoctus fuit, aut præcepta magistri
Constat te penitus dedidicisse tui.
Vox quam, c, crasso scribis, uult scribi Academus — Academus.
c, tenui, quia sic Græcia tota iubet.

Bossus.

Hanc te velle ferunt, sed non ego credulus atro
Bello phlegrea dilacerare manu.

LILIVS

Te quoq; uelle ferunt, sed non ego credulus. Atrum — Atrum.
Nescio cur primam syllabam habere breuem.
Misisse et nuper falso sub nomine Balli
Hanc nobis, claudo quæ pede Musa ruit.
Inseuere animis puerorum forsitan illi — Hi duo versus sunt Bossi.
Virus atrum, quos tu percelebres uocitas.
Hoc si Bosse tuum est, Ballo gratare sodali,
Qui tua tam gaudet crimina ferre libens.
Sin Balli Musa est, atrum præfigere thita,
Cur uitio Balli Bosse uerere tui?

Bossus

Hac te labe lauo. tua quippe modestia nota vt
Que clario haud bilem virginibz qz citet.

LILIVS

Me tu labe lauas, ſed te quis Boſſe lauabit?
Hoc præſtare tibi flumina nulla queunt.
Non ſacer Eurotas, non Aoniæ Aganippe,
Non ſacra quam uiolas Bellerophontis aqua.
Structura hæc etiam, Tua quippe modeſtia nota ut
Boſſi uerba Quę clario haud bilem uirginibusq; citet,
Neſcio quo pacto tenui tibicine fulta,
Nutat, in artificis iam ruitura caput.
Qui tibi uiſus eram nuper Battus, Scarabeus,
Linguax, mendicus, Noctua, ſpurcus, iners:
Nunc alius uideor: mea quippe modeſtia nota ut
Quæ clario haud bilem uirginibusq; citet.
Sunt hominũ fugienda procul commertia: quorum
Iſta manus ſaxum, porrigit illa cibum.

Boſſus

Sepe nouus rumor (quis neſcio) ſpargitur uſq;
Ad ſtoos portus te reboaſſe minas.

LILIVS

Ad Stoos portus. Quid Stoi portus, niſi me præſagia fallant,
Nomina ſignificent tam male ſarta, ſcio
Multiplici fulgens pictura ſtabat Athenis
Porticus: hanc uocitat Cecropis ora Stoan.

Stoica

Stoica ab hac ducta est celebri cognomine secta,
Et Sophiæ, et musis dedita turba sacris.
Tu uero simili delusus imagine uocum,
Et iaculans temere quicquid in ora uenit.
In Stoos portus mutasti porticum : ut apta
Sit mage nauigijs, q̃ Stoa gymnasijs

Bossus

Innocue lauro latitantes tendere tricas
Te nollem, at signo bella parare dato.

LILIVS

Innocuæ Lauro non quæro tendere tricas :
Sed Laurum tricis soluere quæro tuis.
Nec gero bella libēs, nisi quum me prouocat hostis :
Nec cupio signo bella parare dato.
Omnia cōsilio sapiens prius experietur,
Sæui q̃ temere Martis in arma ruat

Bossus

Dilaceram laurum, dryades facilesq; Napee
Oreadumq; chorus corde gemente ferent.

LILIVS

Dilaceram laurum didicisti ubi Bosse latinum? Dilaceram laurum.
Sarmatæ, an hoc fatui te docuere Getæ?

Dilacero

Dilacero uerbum romanum comprobat usus.
Dilacerum in nullo legimus ante loco.

Oreadumq; chorus.

¶ Quid referam q Oreas oreados est tibi facta,
Loripedi similis dictio græca uiro?
Nec potes hanc ulla sorte excusare lituram.
Quippe est hæc numeris crebro reperta tuis.
Nunc male describens illustria facta uirorum.
Hoc fatuum, præter cætera, carmen habes.

Versus Bossi.

Ingeminent plausus Dryades facilesq; Napeę
Oreadum celebris turba et Amadryadum
Nunc flegetonteo perfusus corda ueneno,
Hæc iacis in quendam. Sibila dira Lycon.

Hi duo versus sunt Bossi.

Altiuolo puero Pallas si mittis habenas
Naiades Oreades turbet hic igne ruens.

Oreas.

Primam corripiet, mediam producet Oreas.
Ordine tu inuerso syllabam utranq; locas.
Talibus agrestem compellat Oreada dictis,
Hæc Sulmonensis gloria NASO soli.
Hinc atque hinc glomerantur Oreades illa pharetrā
Fert humeris, doctus concinit ista MARO.
Sed uix clamabit quisq̄ pulchre. Bene Recte.

Corde gemēte ferent.

Hæc tua uerba legens, corde gemente ferent.
Egre ferre, et ferre moleste, sunt meliora,
Et uerbis multo candidiora tuis.

Quo teneros animo (reputa) primos uel amores
Perferat extinctos ipse Hecatebelites.

LILIUS.

Quum sint romanæ tot nota uocabula genti,
Cur hic græca sonat uox Hecatebeletes?
Cur magis hæc quæso q̃ Pæan, Phœbus, Apollo,
Cynthius, Arcitenens, Delius, et Clarius?
Quod tritũ est, quod semp̃ in usu est, hoc tibi sordet,
Contra quod rarum est, hoc tibi Bosse placet.
Forte aliquis dicat, Tranquillus nobilis author,
Talia de diuo uerba Nerone citat.
Dum tendit citharam noster, dum cornua parthus,
Noster erit Pæan, ille Hecatebeletes.
Tu tamen ipse caue, ne græca uocabula tangas,
Quorum ne ipsa quidem prima elementa tenes.
Nãque Hecatebeletes quod non tibi dictio nota est,
Ostendit digitis littera picta tuis.
Epsylon huius habet penultima syllaba uocis:
MEONIDES primo quod docet Iliados.
Sed tu, ut sæpe soles, uariarum monstra ferarum
Gignere et arbitrio fingere quæq; tuo.
Epsylon in Iota mutasti, dicito Bosse
Te ne tuus docet hoc ipse Hecatebeletes?

Perferat extinctos ipse Hecatebelites.

Bossus

Vrna molesta fuit tibi pandore, idq; peperci
Haud phoebi exoptans tela sed antidota

LILIVS

Vitanda est etiam obscura et translatio dura,
Qualem hic præcipue te peperisse uides.
Vrna molesta fuit tibi Pandorę: aspice quæso
Quam sis obscurus, dum breuis esse cupis.
Necnon improprie dictum uitabis, ut anguem,
Vtq; solet cautes nauita Cyaneas.
Iudice te, quondam Pandoræ uas erat urna,
Pandoræ, Hesiodo iudice, dolium erat.
Idq; peperci. Oratio q̃ concinna sit ista.
Nemo est quin summis naribus olfaciat.
Id pro ideo ponis, quæ tantum significato
Conueniunt: quantum dolium et urna tua.

Vrna molesta fuit tibi Pandoræ.

Idq; peperci

Bossus

Ludit imaginib; (fors) egro in corpore mentem
Phantasos. aut bilis (fors) inimica tibi.

LILIVS

Me ludit bilis: sed te fanaticus error,
Phantasos, idq; docet fors inimica tibi.
Fors est hic duplex: at inepta parenthesis: imo
Fors licet ipse uelis, nulla parenthesis est.

Fors.

Phantasos

Phantasos est monstrum, quo non deformius ullum
Fuderat in terris Amphitrioniades.
Non hæc graiugenum fœtura est, Romulidum ue.
Ipsa quidem facies indicat esse tuam.

Phantasos.

Bossus

Dii tibi præsentes sunt nunc Epidaurus, et ipse
Phillyrides, membris pristina vis q; datur.

LILIVS

Phillyrides quia erat pius, atq; salutifer orbi:
Et quia Saturni filius esto deus.
Verum si deus est Epidaurus, ut ipse fateris,
Dic mihi Bosse fuit quo genitore satus.
Dij tibi dent omnes, quæ præmia digna mereris:
E sacra sacrum qui facis urbe deum.

Dij tibi præsentes sunt nunc Epidaurus.

Bossus

Integer est animus si nunc sub pectore sano.
Cum lauro (coram) dicito si quid habes.

LILIVS

Hic quoq;, nescio quid, tua cornicatur inepte
Musula, tam prauo non imitanda sono.
Si quid habes, inquis, cum lauro dicito coram:
Tu ne etiam laurus nomine dictus eris?

Laurum

Laurum pro Phœbo poni tolerare licebit.
Arbor enim Phœbo est ista dicata deo.
Te uero in Laurum transferri, ursumq; uocari
Æqualem Phœbo, quis tolerare potest?
Sed iam cum Lauro quia me uis dicere coram,
Coram cum Lauro dicere pauca libet.
Ornatum Lauro iactas te Bosse poetam,
Non decet ista tuum tanta corona caput.
Sacra triumphales comitatur laurea currus.
Et premit inuicti tempora læta ducis.
Id scribit doctus Cicero, Cato, Plynius : Idque
Ostendunt ueteres, carmine quisq; suo.
Tu ducibus lætis aderis dum læta triumphum
Vox canet, hoc NASO sæpe, Tibullus idem,
Ipse gerens lauros, lauro deuinctus agresti
Miles Io magna uoce triumphe canet.
Cingor Apollinea uictricia tempora lauro,
De te Pelignus talia Druse refert.
Nobilis ornatur lauro Collega secunda,
De Mario scribens hæc Iuuenalis ait.
Tu ne precor tanta mentis caligine torpes,
Vt docti ignores præmia sacra chori?
Non laurum, ast hederas clarorum insignia uatum
Esse docent ueterum pagina docta uirum.
Hæc Flaccus, Me hederæ doctarũ præmia frontium
Admiscent superis me gelidumq; nemus.

Laurus uictorum insignia.

Hederæ poetarum insignia.

Naſo, neglectos hedera redimita capillos
Prima ſui cœpit Calliopæa chori.
Hæc quoqꝫ dulciſona tibi uoce Propertius inquit,
Mi folia ex hedera porrige Bacche tua.
Aſt inter uates ſunt qui diſcrimina ponant,
Hic ut dicatur maior, at ille minor.
Maiori lauros : hederas tribuere minori.
Scilicet hæc multis ſomnia grata placent.
Rectius at quanto, concedat laurea linguæ:
Linguæ romanæ concrepet ore Parens,
Rectius et quanto ſatyrarum ſcriptor Aquinas
Sentiat, et quanto uerius iſta canat,
Qui facis in parua ſublimia carmina cella,
Vt uenias hederæ dignus honore, tenes.
Præterea dictus uates epigrammate primus
Tali te alloquitur carmine Calue Nero.
Fer uates Auguſte tuos nos gloria dulcis,
Nos tua cura prior, delitiæqꝫ ſumus.
Non quercus te ſola decet nec laurea Phœbi:
Fiet et ex hedera ciuica noſtra tibi.
Te ſimul et Fabius Cæſar germanice uatem,
Teqꝫ ducem clarum præmio utroqꝫ uidens.
Inter uictrices hederam tibi ſerpere lauros,
Ore Maronæo teſtificamur, ait.
Nonne uides lauros ducis hic ſignare triumphos?
Nonne uides hederas nobile uatis opus?

Quid tua cõmemorem Persi, aut tua munera Plyni?
Quid ue tuos OVIDI tristia uerba modos?
Si quis habes nostri similes in imagine uultus,
Deme meis hederas Bacchica serta comis.
Ista decent lætos felicia signa poetas.
Temporibus non est apta corona meis.
Hæc et plura docẽt. Nam longum est cuncta referre:
Quæ uatum, quæ sint præmia sacra ducum:
Q; si pro meritis uati tribuentur honores,
Horum conuenient præmia neutra tibi.

Bossus

Dulce licet bellum sit inexpertis: At utrum bis
Eligito? Citharam aut pythia tela tibi.

LILIVS

Horatij carmen.

Abstinuit Venere et uino, qui pythia cantat.
Musa quidem neutro te abstinuisse docet.
Ludere dum quæris doctos mi Bosse libellos,
Et nimia doctis arte placere uiris,
Tangere nec citharam docte: nec tela uideris
Miles inexpertus pythia nosse satis.

Dulce inexpertis bellũ

Dulce enim inexpertis bellum, sententia clara,
Authorem et referunt aurea uerba suum.
Sed iam mixta tui crassa farragine libri,
Mutata et uultus incipit esse tua.

Bossus

Phoebi plectra chelym quando (antehac) semp amasti
Vti nunc armis haud iuuat Archilochis.

LILIVS

Sunt ubicunque tuis commixta aduerbia dictis,
Illic bina facis signa parenthesios
Phœbi plectra Chelym quãdo (antehac) semp amasti — Exameter Bossi.
(Antehac) nonne uides, quod tua signa gerit?
Sermoni quoties interstat continuato
Per se, quæ faciat clausula sensiculum. — Parenthesis
Nobis dicatur syncæra parenthesis, omnes
Id simul affirmant ordine grammatici.
Sed quia nil tale hoc uersu reperitur, oportet
Talis ut hic habeat nulla figura locum.
Vtque tibi crebra est, et inepta parenthesis ipsa,
Sic crebra et semper Syncope inepta nimis.
Qz mihi non tantum portus pro porticu, et illud
Stous pro uerbo hoc stoico (utrunque tuum est)
Verum etiam, istius docet ultima syllaba uersus,
Vti nunc armis haud iuuat Archilochis. — Bossi pentameter.
Quippe aut syncope ĩ hãc op⁹ ẽ cadat, aut male natũ
Dixeris. Archilochis nomen ab Archilocho.
Nec potes in calamum culpam transferre, in eundem
Musa sequens prodit te cecidisse lacum.

Inde

Disticho[n] Bossi.

Inde sales miscet lyricos Venusinus Iambos,
Qui tersos latijs attulit Archilochos.
Castrandi dabitur si tanta licentia uoces,
Pro domino utemur nos quoq; uoce domo.

Bossus

In nos (fertur) alis furtim (quid nescio) monstri
Heus whitintonū nec sopor altus habet.

LILIVS

Tu ne ille es VVhitintonus, qui Stanbrigianæ
Diceris a cunctis gloria prima scholæ?
Tu ne ille Antistes Phœbi, qui nescio cuius,
Proteos aut protu, nomina uatis habes?
Tu ne ille ægregius doctor, ludiq; magister,
Ausus qui leges condere grammaticas:
Tam multis patriam implicuisti erroribus : ut iam
Addiscant pueri nil nisi barbariem?
Tu ne ille es Bossus : qui fixis limine PAVLI
LILIVM et HORMANVM uersib[9] obrueris?
Tu ne ille es : populo qui te iactaueris Arcton,
In me qui blateras, quod pudet ore loqui?
Certe ego si uellem tibi probra rependere probris,
Illyrica fieres nigrior ora pice.
In nos (fertur) alis furtim (quid nescio) monstri.
Versiculum hunc opus est ut fateare tuum.

Signa

Signa parentheſios fruſtra hic, quid neſcio, geſtat.
Heus VVhitintonum iam ſopor altus habet.

Quid neſc[io]

Boſſus.

Albus an ater homo es, capit haud me. dicito ſodes
Quid meruit laurus? quid minitaris ei.

LILIVS.

Albus an ater homo es, ſermo eſt inconditus, et quē
Nulla ars admittat rite palæmonia.

Albus an a-ter homo es

An, dubitatiue ſtans hoc coniunctio uerſu,
Eſt ſubiunctiuo conſocianda modo.
Vtq; magis credas, doctum lege Boſſe Catullum,
E cuius numeris ſurripis ecce tuos.
Nil nimium ſtudeo Cæſar tibi uelle placere,
Nec ſcire, utrum ſis, Albus an ater homo.

Verſus Ca-tulli.

Nec minus abſurde dictū hoc abs te: capit haud me:
Quod male pro uerbo neſcio protuleris.

Capit haud me.

Nec pronomen Ei ſat recte in calce locatur
Huic hemiſtichio, quid minitaris ei?

Quid mini-taris ei.

Authorem quemcunq; libet ſcruteris ad unguem,
Pentametri extremum uox fugit iſta locum.
Deniq; ne plectris nimium uideare ſuperbus:
Quo tangenda modo ſit tua, diſce lyra.
Albus an ater homo ſis, neſcio, Dicito ſodes:
Quid meruit tantas noſtra Thalia minas?

Hoc

Hæc ego quæ cecini, uellem te Bosse notare.
Scilicet erratis pharmaca digna tuis.
Hæc bene si discas, alta hæc si mente reponas.
Forte eris ipse breui tempore Grammaticus.

GVILIELMI LILII TERTIVM ET VLTIMVM ANTIBOSSI CON EXPLICI TVM.

ALCE ARPINAS

Ne credas titulo nimis superbo,
Quem suis serit omnibus libellis
Bossus maximus ille circulator,
Se proton titulo uocat poetam,
At nihil minus ille q̃ poeta.

HARPYIA

Deformis Bossus; deformis bęlua Bossa,
Deformes Catuli sunt utriusq; magis.

HYLACTOR ILIENSIS

Falleris ah demens qui nomine dissimulato,
In latebra speras posse latere tua.
Tale tibi nomen finxisti, ut q̃ modo ficto es,
Nomine non fueris notior ante tuo.

Bossum

Bossum te ipse uocas, Bossum populus uocat ursum.
Tu faciem et mores quos habet ursus, habes.
Rauca fluunt ursi furibundo murmura rictu,
Eructat rictus murmura rauca tuus.
Vndiq; sunt ursi fœda atque enormia membra.
Enorme est membrum carminis omne tui.
Enormes normas uis nos agrammatos ipse
In dediscenda discere grammatica.
Et stulta est ursi solertia, Plynius inquit,
Vrsus te solers stultius esse nequit.
Ergo ursus populo ut plaudente agitatur, et urgent,
Hinc stimuli, inde faces, saxa, flagella, canes,
Sic tu ludibrijs dum agitaris Bosse, furisq;,
Rident, uir, mulier, uirgo, puella, puer.

TYPOGRAPHI ERRATA.

A. pagina. v. uersu. viij. scribatur silua. uer. xvi. scrib. sidera. pa. vi. uer. xvi. scri. Marsya. B. pa. ij. uer. iij. scri. diphthongo. pa. vij. uer. xvij. scri. legas. D. pa. v. xx. scri. Molossus. pa. vij. uer. xxiiij. scri. quā. pa. viij. uer. j. scri. trutinet. E. pa. viij. uer. xxiiij. scri. docet.

LONDINI IN AEDIBVS
PYNSONIANIS
AN. M.D.
XXI.

Bossum te ipse uocas, Bossum populus uocat ursum.
Tu facias, et mores quos habet ursus, habes.
Rauca fluunt ursi fauciundo murmura rictu,
Eructat rictus murmura rauca tuus.
Vndiq; sunt ursi fœda atque enormia membra.
Enorme est membrum carminis omne tui.
Enormes normas uis nos agrammatos ipse
Iā dedidicenda discere grammatica.
Et stulta est ursi solertia, Plynius inquit,
Vrsus te solers stultius esse nequit.
Ergo ursus populo ut plaudente agitatur, et urgent,
Hinc famuli, inde faces, saxa, flagella, canes,
Sic tu ludibrijs dum agitaris Bosse, furisq;
Rident, uir, mulier, uirgo, puella, puer.

TYPOGRAPHI ERRATA.

A. pagina. v. uersu. viij. scribatur silua. uer. xvi. scrib. sidera. pa. vi. uer. xvi. scri. Marsya. B. pa. ij. uer. iij. scri. diphthongo. pa. vij. uer. xvij. scri. legas. D. pa. v. uer. scri. Molossus. pa. vij. uer. xxiiij. scri. quā. pa. viij. uer. j. scri. trutinet. E. pa. viij. uer. xxiiij. scri. docet.

LONDINI IN AEDIBVS
PYNSONIANIS
AN. M.D.
XXI.

ANTIBOSSICON

Guil. Hormani ad Guiliel=
mum Lilium.

Epistola Aldrisij ad Hor=
manum.

Epistola protouatis ad eun=
dem Hormanum.

Apologeticon Hormani ad
protouatem bisarium.


BIBLIOTHECA·BODLEIANA·

GVIL. HORMANVS CAESARIS-
BVRGENSIS GVIL.
LILIO. S. D. P.

QVOD mea significas uulgaria, candide Lili
Publicitus Bossum dilacerare schedis:
Atque animo factum stolidum, fers non satis æquo:
Ostendis ueræ pignus amicitiæ.
Q: q; mea causa tu commorderis in illis:
Communem sortem consule quæso boni.
A scurraq; notam sic inciuiliter actam:
Non egre tolero, te neq; ferre puto.
Te quoq; lætari decet, et meliore lapillo
Hunc signare diem, quo tibi creuit honor.
Nam tuus in Bossum calamus, tot tela cruenta
Torsit, et afflictum uerbere strauit humi:
Vt quanq̄ pacis sis semper amator et author:
Horrendum doceas, bella mouere tibi.
Sic laceras ursum, sic stultis fraudibus usum:
Ne pateat, nec eis posse latere, doces.
Elicis et stolido fœdos ex carmine mores:
Anguibus ut Marsus dira uenena trahit. Marsus anguipotens.
Ingenij fatuam uenam, cum sordibus illis,
Quas docet et scribit, pandis ad articulos.
Et quamuis ad me probri pars maxima spectet.
Addere nil possum, quod tua musa silet.

Gratulor ergo tibi, debeboq; dum mihi uita
Spirat: qui partes sic tueare meas.
Quin magis, egregie q̃ sic sis ultus utrunq;:
Figere opima tibi iure trophæa potes.
Attamen est unum LILI charissime, quod mi
Pene stuporifico corda pauore quatit.

Brennus. Annibal. Portentum prodigium.

Romulidas Brennus nec terruit Annibal unq̃:
Vnum ut portentum triste ue prodigium.
Quatenus arma feris armis potuere repelli,
Non subijt refugus pectora firma timor.
Si pater omnipotens ostentis perculit urbem:
Corda relanguebant, anxia spesq; fuit.
E cælo nam portendi timuere pericla:
Tumq; citam cæli turba petebat opem.

Pontificis officium. Sibyllini libri. Tarquinus. Lectisternia. Virgo uestalis. peplum. Matronæ.

Atq; Sibyllinos mox inspexere libellos
Pontifices: emptos rege tenace nimis.
Tum per templa sacros properabant sternere lectos:
Masclaq; sacratis thura cremare focis.
Virgoq; uestalis languentes excitat ignes:
Detracto peplo, ter sua uota canens.
Matronæ egregie uerrebant crine soluto
Ima pauimenti puluere sordiduli:
Talia sæpe tibi patet euenisse triumphans
Roma: sed insigne est, id modo quod referam.

portentum.

Vt coleret terram iuncto boue rusticus illum
Vrgebat stimulo, concumulando minas.

Tum

Tum bos (horrendum) sic fatur. parcius insta: Bos locut[us]
Vanus quo sudas est tuus iste labor.
Nam tibi messis erit satis, atq; super : tamen illam
Quæ metat aut comedat uix erit ulla manus.
Nec fuit id uanum : quia mox ciuilia bella — Ciuile bellum
Exhausere uiros, quis stetit Italia. — Doctorum
Tunc periere patres, perijt neruosa iuuentus: — interitus.
Et latium gurges sanguinis obtinuit. — Cædes funesta.
Tunc periere Cato, Brutusq; tyrannidis ultor: — Cato.
Et deus eloquij Tullius, et Decius: — Brutus. Tullius.
Cæsar et armipotens, ac cędis totius author: — Cæsar.
Et quicquid floris uixit in Ausonia.
Huius erat cladis bos unus nuncius ater: — Bossus monstrum.
At maius nobis incubat ecce malum.
Monstrum quadrifidum, iam constat dira locutum: — Quadrifariam.
Quæ nisi purgentur, lingua latina uale. — Cminosum.
Est monstrum Bossus, quo nunq̃ tetrius ullum
Anglica terra tulit, nec mage pestiferum.
Sed placet hoc monstrũ: latet in quo plurima pestis — Nominis interpretatio
Explorare magis: pressius inspicere.
Nam latuisse sub hoc peregrino nomine, Bossus
Callidus elegit : mystica causa subest.
Nomine diuiso, Bossus bos efficit et sus: — Bos Sus.
Ex iunctis Bossus protinus ursus erit, — Vrsus
Est locus hic etymo numerum qui protinus implet: — Bis asinus.
Bis asinus Bossus : Varro probare potest.

Ergo

Ergo age Boſſe latens, et tali nomine gaude,
Quod tibi tu ſolus cælitus indideras.
Senſus iners mentis, tardum te reddit aſellum:
Vox male culta bouem, ſordida uita ſuem.
Vrſum mellis amor, quo indignus quæris honores:
Informes fœtus carmina iure uoco.
His extant ungues, putris globus exerit illos:
Nam laniant ſtolide: cætera uirus olent.
Q; ſi quæ ſcribis, iuſto moderamine penſes,
Lambendo melior forma redire poteſt.

Boſſus ſtruthiocamelus.

Eſt et nomen auis, quod Struthius atq; camelus
Compingunt, pulchrum conueniensq; tibi.
Corpus ei uaſtum, paruum caput, alaq; grandem,
Deſtituit molem, quando uolare parat.
Poſt fruticem caput occultans, putat inde latere
Se totam: in caſſes ſic cito præda uenit.
Sic magnus fieri cupis, ingenium uetat illud:
Nec quo contendis, iure uolare potes.
Nomine ſuppreſſo, ſperas te poſſe latere:
Sed ſtilus artificem prodit ubiq; ſuum.

Epeus doli artifex. Equus troianus.

Ex hoc ſicut equo, fallax quem ſtruxit Epeus:
In uulgus manant ſemina multa mali.
Sordibus imbuitur Boſſus, quibus imbuit omnes,
Quos ſectatores congregat ille ſibi.
Boſſus amat laudes, Boſſus ſe iactat ubiq;:
Et lacerat doctos Boſſus ubiq; dicax.

Boſſus

Bossus ut immeritos tandem furetur honores:
Omnibus est supplex, omnibus est asinus.
Grammaticen condit Bossus: qua nulla uagatur
In terris peior, uel mage pestifera.
Inficit hac pueros, qui grandes postea facti:
Inficiunt alios. serpit ubiq; lues.
Carmina compingit Bossus, celebratq; potentes:
Ast homines claros, laus ea dedecorat.
Si quicq̃ scribant alij, faciant ue decenter:
Bossus adest calamo, denteq; liuidulo.
Protinus infames, tunc erigit ille libellos,
Quos lex ciuilis, fuste uel ense domat.
¶ Si Quæras LILI quænam sit habenda medela.
Huic pesti: referam, quam dat Apollonius.
Pestis atrox Ephesi, populum consumpserat olim:
Nec medicina suam ferre ualebat opem.
Sed nec Apollo potens: sed nec pharetrata Diana.
Auxilium potuit tunc adhibere suum.
Venit Apollonius, uiditq; per hostia quendam
Mendicare stipem, suppliciterq; pium.
Conuocat huc populum, dicens: si peste leuari
Vultis: in hunc lapides conglomerate cito.
Hic est, hanc urbem qui tot per funera uestram
Exhausit latitans. et dubitatis adhuc?
Ni faciatis: erit maior iactura priore:
Vt functos uiui uix sepelire queant.

Medela in uitia Bossi. Philostrates li. iiij. Apollonius pestis Ephesi. Mira historia.

Obstupuere

Obstupuere uiri, quosdam miseratio mouit:
Credere uix alij supplicat ipse miser.
Tandem persuasi, uel grandi peste coacti:
Certatim lapides in miserum iaciunt.
Obruitur nimbo, nec tarde crescit aceruus:
Sic extincta iacet tristis imago necis.
Tum sophos ad populum: libeat reuidere cadauer:
Vt mea sint uobis uerba tenenda magis.
Disijcitur tumulus, iacet horridus ecce Melossus
Mortuus. ast rictu signa furoris habens.
Hic (ait) est dæmon torui sub imagine monstri:
Vrbem qui uestram: sic ad inane tulit.
Sic Bossus quadriceps, pestem dispersit in orbem
Quæ nisi tollatur, fiet amara lues.
Et nisi Bossani lapidetur dogma ueneni:
Signa suæ mortis lingua latina dabit.
¶ Ad te sed LILI sermo redit: atque uidendum
Est nobis: quorsum hæc se ferat umbra latens.
Nam non omne nocet portentum prodigium ue:
Pars etiam quædam, signa salutis habet:
Et procurari possunt mala relligione:
Inque bonum uerti: si deus ipse uolet.
Si nihil est reliquum funesta peremptio supplet:
Quod nec aruspicium, nec medicina potest.
De serua natum Tullum, diademate cinxit
Flamma, caput lambens attamen innocua.

Bossus contagiosus.

portentorũ et prodigiorum significatio.

Tullus Hostilius.

Author

Author erat facti, Tanaquil regina. mariti
Non sobolem prisci: non sua respiciens.
Et Syllæ, cumulus tantorum creuit honorum:
Quod non prodigium territus extimuit.
Contra Samnites dum consul duceret: ipse
Vt litet ex animo: sacrificare studet.
Ecce, ruit uoluens anguis delapsus ab ara:
Perculit hoc alios, dux manet intrepidus.
Posthumus ire iubet fidenter, magnus aruspex:
Itur, et occiso uictor ab hoste redit.
Tela Iouis magni mortales fulmina terrent:
At dare spem faustam fulmina leua solent.
Quum tonuit leuum melius sperare iubebant
Etrusci: archani qui tenuere uias.
Et portenta bonum prætendere uidimus omen:
Id quod nunc fieri, mens mihi certa iubet.
Iam uenit illa dies, qua uoti compos uterq;:
Ob felix omen saltet utroq; pede.
Semper erat nobis, dolor et spes: nam dolor ingens
Torquebat: streperet cur ita barbaries?
Hæc ita radices posuit, creuitq; potenter:
Stirpitus euelli uix ut ab osse queat.
Sed spes non torpens, Bosso mihi creuit ab isto:
Qui tantæ cladis maxima causa fuit.
Nam sic barbariem demens prouexit in altum:
Eius ut immineat magna ruina prope.

Tanaqui[l] Aucus M[ar]tius.
Sylla.
Anguis ab ara.
Posthumus
Fulmina leua.
Tonittu leuum
Omen felix
Bossus mali causa et boni occasio.

Simile. Vlcus.

Cernimus, ut, quanto mage crescunt ulcera, tanto
Pure magis turgent, atq; fouent saniem.
Tandem, quando cutis: mage tendi plena recusat
Rumpitur: atq; ruit tabida profluuies.
Quam post rupturam, redduntur corpora sana:
Et quæ nutabat fit uegetata salus.
Sic quia collectas iam longo tempore sordes
Prægrauidus Bossus non retinere potest.
Illas effundit, rupta cute frontis honeste:
Et fœtor patulo protinus orbe uolat.
Et quia monstrosus Bossus, iam carmina spargit
Monstris plena suis. figit et in foribus:
Carmina quæ linguæ uestigia nulla latinæ
Prorsus habent. fœdam barbariem sed olent:
Et prosam texens stilus est informior illis.
Quo mage peccandi campus apertus adest:

Bossus occasio resipiscendi.

Illum fata trahunt, ut mundo se manifestet.
Moribus et scriptis q̄ fiet horridulus.
Vt tandem discant homines: quibus ipsa iuuentus
Sordibus incumbat: quæq; pericla trahat.
Tum demum nosces, in multis ANGLIA felix:
Q̄ȝ sis infelix, sub duce tam stolido.
Est alibi mundi contentio totius anceps:
Quæ poterit pueris gens meliora dare.
Nostri perdiscunt Bossum, quo non magis ullum
Pestiferum orbiuagus sol reperire potest.

Si quis

Si quis inexpertus dubitet me dicere uera:
Qualiacunqꝫ facit, pressius illa legat.
Inueniet penitus me non nisi uera locutum:
Et quam sint pictæ, res magis esse malas.
Quisquis eris charæ qui consuluisse iuuentæ
Optabis: Bossi qualiacunqꝫ fuge.
Huic morbo possunt, et pro pietate studebunt:
Omnes auxilium suppetias ue dare.
In primis illi, quos conuentus generalis
Tam clari meriti, sciuerat esse patres.

FINIS.

Roberti Whitintoni laureati contra
Guil. Hormani inuectiuas li-
teras responsiua.

Quas placide resonent citharae celsiqꝫ triumphi
Hormanus lauros ad fera bella citat
Ad fera bella citat (satis et muliebriter) atra
Conuicia euomitans uociferata satis
Non te bacchari docuerunt sylue achademi
Non stoi portus: non sophieqꝫ dea
Innocuos Astrea uetat damnare pudica
Iniuriis ueniam littera sacra monet
Bellitonas animi prohibet tumidasqꝫ procellas
Ethnicus, irasci non Epicurus amat

Quo lare te refectam? quo te potius de furore
Exagitat rabidum dira Megera feras
For laudem affectas; non laudo: id bile moueris
Ne furias (moneo) si mea musa silet
Qui meritas cumulent laudes haud deesse putato
Si authorem dignum laude probarit opus
At quid opus verbis? satis en preludia pinxsti
Laudibus: es preco moriger ipse tui
Euomis ampullas magnum te velle theatro
(Nescio quid) ranis (credito) linquo coax.
Si Thraso bella paras: procul hinc optem tibi fūdā
Quosqꝫ citas; alter te et tua naucifacit
Excors queris opem Lillum minitare et Erasmum
Tu cum panniculo Sanga vel alter eris
Sin quo te fretum iactas? illustris Erasmus
Te coquulum aut lixam nauseet esse sibi
Nos rident docti/sic gannis cherylus/at ni
Hormani similes me (scio) quisqꝫ colit
Ambire insimulas nos: heus: Ixionis axem
Expertus garris: tu tamen Irus abis.
Ante tua excludas/decima trieteride pressa
(Ni putrefacta sient) dehinc mihi censor eris
En tibi qui risum sardoum iure propinet
Atqꝫ fere rabiem (simia dicta) tue.

In eundem Hormanum scōma
satis iocundum.

Testibus

Testibus auritis agis in me tetrice: at audi
Hormane auritum sis agis ipse Midam
Ignotum obtrectas: es qualis tu mihi notus
More cathenati nam canis ipse latras
Parcius vt carpas iubet/ ethicus ohe: modestum
Sic cinici Momi dente agis ecce sophon

In eximiam laudem egregie opinionis o-
pusculi nuper ab eodem Hormano.
editi hexasticon.

Aetherea hec ingens sileat memphitica moles
Longa Semiramidos structa stupenda satis
Illa Corynthiaci taceant miracula phani
Efferat haud celsum vel Cnidos ipsa taphon
Hec latie lingue tot clara volumina cedant
Unius Hormani fama recantet opus.

In eiusdem Hormani opuscu-
li laudem pali-
nodia.

Hormani vel opus dic cur non lector honoret
Summe: quando author nil sibi laudis auet.
Affectata licet sibi gloria non datur: aha:
Qualis at est author sat notat illud opus
Ecquid abortiuit iactans ex tempore partum
Pape: hunc sex lustris parturiisse ferunt

Ex

Ex regio palatio in Calisiens. castello
pridie calendas Junias be-
lis equisq;

Noua.
Mons reboat: q̄d hoc est: at at: hinc fugias ꝓcul asta
Heus: nihil/Hormani in ilia rupta crepent.

ROBERTVS ALDRISIVS ETO-
NEN. GVIL. HORMA-
NO. S. P. D.

SVscipies Hormane tui breue carmen amici,
Quo nostræ mentis paucula signa leges.
Quæ facis in Bossum te carmina digna: sed illo
Sunt indigna nimis: qui nihil arte ualet.
Si tibi: cum quali deceat certamen adesset:
Censerem litui classica digna tui.
Sed quia nil sapit hostis, et errat tramite toto:
Scribere uix decuit, uituperare satis.
Ergo ne prompta lyræ cessabit corda canore,
Seq; super stolidum perpetietur onus?
Non plane sic euadet, quicquid sapientum
Dixit sacra cohors, consuluitq; tibi.

Non

Non decet Hormanum tam paruula tangere, uerum
Se decet Hormanus talia ſciſſe probet.
Non decet in tali ſtudio conſumere canos:
Sed decet oſtendas te ſtuduiſſe prius.
Non decet ut myſtes, grauis et grandęuus ad illud,
Quo ſudant pueri . ſero recurrat opus.
Sed decet ut quiſquis cupiat pius eſſe ſacerdos,
Scire ſacerdotem, quæ decet efficiat.
Non piguit uatum uoces quas legerat ante
Hieronymum libris inſeruiſſe ſuis.
Nec puduit multis hunc reſpondiſſe malignis,
Quos iuuit ſcriptis obſtrepuiſſe ſuis.
Non mordere uoles, ſed caſtigare uolentem
Mordendo famam commaculare tuam.
Non pugnare cupis pugnæ diſſuetus, at omni
Fungere milicia militis officio.
Non aliena paras inuadere, tute uidebis
Inuidia proprium ne uioletur opus.
Non puerum præceptor eum, quem corrigit odit:
Hunc potes arguere : et nil adamare minus.
Sicq; deo placeas, turbæ placeasq; ſeueræ:
Et ſuccenſebit nil bene docta cohors.
Iſtud habes HORMANE meũ de rebus honeſtis
Conſilium, es iudex optimus ipſe, VALE.



A

Cur

D

Me f

A

Bella

In

Conf

N

Te nu

Ine

Carm

Ve

Vtqꝫ n

Et f

APOLOGETICI GVILIELMI HORMANI CAESARISBVRGENSIS CONTRA ROBERTI VVHITINTONI PROTOVATIS ANGLIAE INCIVILEM INDOCTAMQVE CRIMINATIONEM PARS PRIOR.

CVM queror ignauo rodi me carmine: bilis
  VVhitintone tibi pectora torua rotat.
Cum linguæ et calami uęsana tui nocumenta
  Demonstro placidus: dirus utroq; furis.
Me fera bella tibi muliebri more parare
  A tali studio quando dehortor, ais.
Bella seri clamas, quum spargis semina belli:
  Innocuumq; tonas te, mihi quando noces.
Consilium sanum, ducit pro uulnere stultus,
  Nec reuocatus, eo fit memor ipse sui.
Te nunq̃ uidi, non læsi, tuq; uicissim
  Incessis probris nomen ubiq; meum.
Carmine uęsano, cui nec mens ulla, nec ullus
  Verborum cultus, me quatis atq; premis.
Vtq; magis uideare scius, uideare peritus,
  Et sophos, atq; sacræ nectare potus aquæ.

VVhitintonus contumeliosus.

Nescio quos Stoös portus, siluas Academi
Astream gannis, Palladis atq; sacra.
Ethnicus ac ethicus tibi præsto est, ac Epicurus,
Et quicquid sophiæ terra pelasga tulit.
Et quasi uel summo tenus unq̄ talia nosces
Aut sophicis dictis consona uita foret.
Censoris partes tibi præripis atq; tribunal.
Pulchra iubes nobis : pessima tute facis.
Sic manus est Esau reprobri . sed uox Iacobi:
At me neutra potest illaqueare dolis.
Nam neq; caligo fucauit lumina tristis:
Nec mihi se furtim subtrahit hirta manus.
Et me contemptim rides, lacerasq; procaci
Lingua : qua in terris nequior esse nequit
Nomina, pro scurræ placito, delirus adaptas:
Ludibrijsq; scopum te reperisse putas.
Thraso tibi uideor, uideor tibi simia, sanga,
Choerilus : et longis auribus esse Midas.
Lixa, canis, coquulus, uecors, et nudulus Irus:
Sic me deridet morio ridiculus.
Nec tibi sufficiunt spurco de pectore nata
Probra tot, et sannis plus phalerata tuis :
Ni mihi segniciem timidam, tardamq; Mineruam, et
Auxilium socij degener obijcias.
Exultas ut asellus iners, quod opuscula nostra
Producam in lucem nulla uidenda tibi.

Putriaq;

Putriaque absumi decima trieteride ringis:
Aedique illa iubes: grandia pollicitus.
Tunc etenim mendis retegendis multa minaris.
Et mihi censuræ tetrica uerba pluis.
Nanqꝫ tuæ fatuæ iactas mihi fulmina musæ:
Grandine uerborum, te facis esse Iouem.
Et duo discordi blateras epigrammata sensu:
Scommata quæ nullo tute pudore, uocas.
His ut homo belial mea tu Vulgaria laudas:
Ironia tibi chara peregit opus.
¶ His ego responsum (sed nec sine dente) pararam: Responsio Hormani.
Quod tibi morderet, concuteretqꝫ iecur.
Atqꝫ typis plenum stetit et fuligine prælum:
Vt quæ dictaram protinus exciperet.
Sed memor ipse mei, grauibusqꝫ fidelis amici
Persuasus uerbis: uiribus abstinui.
Certam præscripsi mihi legem: ne quid adirem:
Quod fieri nequeat cum ratione proba.
Suntqꝫ uiri pleriqꝫ graues, qui non mihi laudi
Adscribunt: uano si tibi congrediar.
Atqꝫ monent, ut ego (quicquid dicas facias ue)
Nec te nugacem, nec tua respiciam.
Ast alij censent, tua non impune ferenda
Ludibria, effrenis quis male quosqꝫ notas.
Nam quia te docti spernunt: et ludere uanum
Permittunt, animos concipis immodicos.

Induis exuuias ſed non thoraca leonis
  Rudis : et horrificas fundis ab ore minas.
Sed te ruditus, torpentem prodit aſellum:
  Inuitans fuſtes atq; uocans ſtimulum.
Et terrere minis me ſperas talibus . at me
  Longe (ſi pergas) experiere alium.
Et quoniam pars altra mihi iubet eſſe ſilendum,
  Altera pugnandum pro lare proq; focis.
Inſtitutum Hormani. Inter diuerſos ſic anceps fluctuo ſenſus
  Cuiq; magis ſtandum uix reperire datur.
Ipſe tamen medium ſtatui : penitusq; ſilere
  Nec uolo, nec Codri iurgia conſerere.
Vt uideo noſtræ ſunt hæc præludia pugnæ,
  Quæ tibi quam palmam ſit paritura uide.
Mens fuit illa mihi ſemper : ſemperq; futura eſt,
  Vt, mihi qua liceat, lite carere uelim.
Multa pati malo, q̃ ſcriptis digladiari:
  Nec mala quæ poteram reddere curo malis:
Et certamen erit nulla ratione ferendum,
  Quod me compellet tranſilijſſe modum.
Diſſimulare tuas nugas : maioraq; poſſem
  Ni mage te facerem, ſic tolerando malum.
Et licet in uita nil peius funditus odi
  Q̃ calamum nigro tingere felle meum:
Tu tamen agnoſces tibi non impune licere
  Bacchari : nomen nec lacerare meum.

Pauca

Pauca etenim pro me referam, calami tamen ungues
Condam: ni iustus me calor impulerit.
Hicq; precor doctos, ne cui uitio mihi uertant,
Interdum rigide, si mihi uerba fluant.
Res est cum tali, qui se inciuiliter effert:
Omneq; scribendo deserit officium,
Atq; meam causam, si pensiculare uelitis:
Quam sit iusta statim, q̄ sit honesta docet.
Sat scio quid studium, uel quid mea postulet ætas:
Nec tempus nugis ludificare decet.
Non mihi mens probris est iactis digladiari:
Sed mea, ne indignam uim patiantur, ago.
Nam quia quæ scripsi, docti cum laude probarunt,
Fas est ut pestem, quæ nocet iis, abigam.
Nec miserum, pueros qui sic per deuia fallit,
In mea grassari (me reticente) sinam.
¶ Quum placidas citharas, lauros, celsosq; triũphos
Iactas, et tractas conditione pari.
Nuda fronte docent, sensus et uerba: cerebri
Doctrinæq; tibi prorsus inesse parum.
Quid tibi cum cythara Phœbi, celsis ue triumphis?
Viribus hæc lentis sunt minus apta tuis.
Est inflanda tibi, uento præturgida musa
Cornibus insignis: canna uel obstrepera.
Tu culicum pugnis, uates culicumq; triumphis
Scribendis dignus: grandia linque aliis.

Lectores alloquitur Hormanus.

VVhitintonum conuenit Hormanus.

Anglorum protos uates præsumis haberi:
Sed proto et fatuus nectito, nomen erit.
Q; si quid frontis, uel si quid cordis haberes,
Non ita dementem te, sine nube dares.
Si quid sit uates, bene nosses, quid ue poeta:
Non ausis nomen sumere tale tibi.

Poetæ suppellex.

Vtq; minora satis, tanq̃ bene iacta relinquam
Pro fundamento: sed tibi nota minus:
Est uatis nouisse polos, et climata mundi
Astra, uiam solis, nosseq; Zodiacum.
Obliquos cursus, quos tardat raptus olympi:
Implicitos orbes, sidera retrograda.
Atq; duas arctos, quę non odere draconem
Vt Bossum: quamuis ursulus esse uelit.
Nam secat ille uiam, quæ diuidit arcton utranq;
Et minor arquato clauditur ipse sinu.
Sed præsepe: suis geminis quod fulget asellis
Non patitur bipedem pabula adire asinum.
Plurima sunt alijs toto dispersa figuris
Cælo signa: modo non repetenda mihi.
Quorum ni uates obitum cognoscat et ortum
Tam celebri nunq̃ nomine dignus erit.
Quid, nisi uentorum tempestatumq; ruinas
Calleat: et nebulas, fulgura, cauma, niuem,
Accessum uarium tumidi maris, atq; recessum,
Et breuia, et Syrtes, atq; graues scopulos.

Ethiopas

Ethiopas nigros, et quas fouet India gentes:
Ac reliquas omnes quas deus orbe tenet.
Mores, et ritus, leges, habitusq; uirorum:
Quæq; illis placeant displiceant ue magis.
Quæ sua mauortis sint munia: quæ quoq; Iani
Limina concludant: pectora pace regant.
Corporis ac animi partes: et quicquid in illis
Conuenit, aut pugnat, uel fluit absq; modo
Morborum causas: et sanantem medicinam.
Et frugum uires, gramina, poma, nuces,
Fas, ius, et leges: ac plæbis scita uolublis:
Consilio dubium subleuet atq; suo.
Orando uarijs adfectibus imperet: illos
Quo uelit ipse trahens, obsequiumq; parans.
Vtq; semel dicam nihil ignorare poetam
Rebus in humanis (sit nisi turpe) decet:
Adde q; ingenio diuino si caret ille,
Quæ placeant musis carmina nulla facit:
Et dubitant docti, nascatur, fiat an arte
Vates: perfectum munus utrunq; facit.
Talis erat, uatum pater et uia, magnus Homerus: **Homerus.**
Quem claras artes progenuisse ferunt.
Talis erat, felix quo Mantua gaudet alumno: **Vergilius.**
Et latiæ musæ plectra tenente: MARO.
Sed constat paucos uix sæcula multa poetas:
Nominis eximij sic potuisse dare.

Sunt tamen innumeri: q̄bus est sors proxima primis:
Vel qui aliquid pollent inferiore gradu.
Hicq; omnes laudem, laudisq; insignia iusta
(Sortis ut urna tulit) promeruere sibi.
Attamen ex numero penitus nemo fuit horum,
Qui non egregijs artibus auctus erat.
At tu, qui uatum primus, princepsq; uideri
Vis: profer causam qua merearis idem.
Si quid habes frugis, dedit id schola Stanbrigiana:
Te super hoc musæ nil docuere nouem.
Ex epulis, quas Mercurio cum Pallade iuncto
Mensa tulit diuum: pars tibi nulla fuit.
Nec sophiæ triplicis nutrix, dedit ubera dulci
Lacte leuanda tibi, pagina sacra nihil.
Pasceris ipse cibis pollutis dæmoniorum:
Ipsa simul pascens, lauticijsq; fouens.
Sunt tibi delitiæ fastus, iactantia, murmur,
Et clamdestinus morsus, et obloquium.
Nobile nepenthes ronchus derisio scomma,
Et stlophus buccas qui lacerare queat.
Ijs quoq; tu calamum pascis, mentemq; fatigas
Irrequietus homo, nocte dieq; tuam.
Et quia te cernis nulla uirtute nitere:
Fraude putas nomen conciliare tibi.
Detrahis inde alijs: nec cernere corde quieto
Alterius laudem, uel bene facta potes.

VVhitintoni inscitia.

Delitiæ VVhitintonianæ.

Esse

Esse cupis, tamen esse nequis in carmine clarus,
Obsistunt uotis numina cuncta tuis.
Quo magis ignauum nomen tu tollis in altum:
Hoc mage stultitiam pandis ubiq; tuam.
Oua (putas) quales producunt irrita pullos:
Ingenium infelix quid nisi monstra parit?
Fragmina dulcifluo rapis ex NASONE, sed ipsa
Te clamant furem consociata tuis.
Fragmina doctiloquo clam uis subducere Flacco:
Sed manus in furto prenditur ipsa suo.
Pennas multorum uatum tibi congeris excors:
Sed te destituunt, quando uolare paras.
Dedignantur enim doctorum candida scripta:
A tam sordidulo tangier atq; trahi.
Sensus iners, tumidis prodit sine sanguine uerbis,
Est morti similis pallidus ipse color.
Sensa suis uerbis, et sensis uerba renident:
Vt male compositæ dissona fila lyræ.
Adde q; in uerbis non est lex grammaticorum:
Nec concors nexus plurima uerba ligat.
Barbaron et passim regnat præturpe solœcon:
Vt latium lotium mergat ubiq; tuum.
Quum desit sensus, nec sunt tibi propria uerba
Infercis nunc hem, nunc haha, nuncq; pape.
Sicq; miser uario mentis quasi turbine raptus
Ingemis, exultas, spe fluis, atq; paues.

Quum scribunt aliij, longo meditamine uersant:
Quid possint uires, quid quoq; reiiciant.
Materiam sibi quisq; suis pro uiribus aptat,
Et quam suscepit lineat atq; polit.
Adsciscit species cautus uarias metaplasmi
Schemata, moratis undiq; fulcta tropis.
Materies tibi sola patet, placet atq; nocendi:
Obloquio turpi, quam redimire studes.
Corpora quæ fingis, quam sint habitura figuram
Non curans, temere multa parerga facis.
Nil succi dulcis profers, nil cum sale acutum
Promis: sed fungos aut aconita paris.
Verbis ac rebus sic aptas rite colores:
Vt cæcus pingens effigiansq; Iouem.
Ordo tenet talis, qualis, cum forte fluentes
Rusticus e sacci proiicit ore fabas.
Talis inest ordo, qualem præscribit eundo
Octipedis cancri semita flexiuia:
Imparilis iunctura frequens, tua barbara nectit
Sensus iners toruum prodocet ingenium.
Non audet Flaccus nomen sibi sumere uatis.
Tu primus uates dicier usq; cupis.
Pallentes hederas trepida spe diuus Homerus
Optat et huic socius, Mantua quem genuit.
Te meritis nullis laurus facit ipsa superbum:
Ex solis foliis stat decus omne tuum.

Cum Phœbo quoniam certamen Marſya tentat: Marſya.
Plangit: et exuitur Marſya pelle ſua. Midas. Appollo.
Atq; Midæ creſcunt aures, dum pana tuetur Pan.
Et phœbo præfert: ſic tibi tute places.
Bebryaci tumuli laurus tibi tempora cingens Laurus inſana.
Te facit inſanum: nec ſinit eſſe pium.
Quum Nero fex hominum, ſcelerum ſentina, teneret Neronis tẽpora ominoſa.
Romani clauum perditus imperij.
Qua uincire caput Cæſar de more ſolebat: Laurorum interitus.
Laurus in Auſonia funditus interijt.
Sic ubi tu ſacram, quæ pellit fulmina, laurum
Moribus et ſpurco carmine commaculas.
Vileſcit lauri precium, ſine laude uidebit
Ipſa ſuas bacchas, et morietur honor.
Sordibus his diues quum ſis, ac mentis egenus VVhitintoni, temeraria audacia
Magna, tuis humeris non toleranda, capis:
Grammaticen cõdis: quam quiſquis diſcet, habebit
Quod, dum ſpirabit, non didiciſſe uolet.
Principis et procerum laudes, et grandia cantas
Facta, pari carina qua Bauiana fuit.
Principis eximias laudes, clarosq; triumphos:
Eximium uatem concelebrare decet.
Balſama rancidulæ Phialæ de gutture fuſa Simile.
Cum precio laudem depoſuere ſuam.
Toxicat illuſtres titulos maleſuada ſiniſtri
Præconis, ſtudijs uox inimica bonis.

Est a laudatis laudari res ueneranda
Ponderis ac solidi, summus Homerus ait.
Sic lædis proceres, dum candida facta lutoso
Obfuscas calamo degenericꝗ lyra.
Magnanimis magni debent seruire poetæ.
Quæ uatem faciunt infima nulla tenes.
Sed quia uenari famam, cum diuite sorte
Pergis adulando: cura pudoris abest:
Alexander Macedo. Chœrilus. Magnus Alexander cum bello tunderet orbem
Chœrilus accessit: fortis imago tuæ.
Inclyta facta canam dixit tua, digna labore
Præmia si pendas, te super astra feram
Legem dat Macedo hanc: pro uersu tolle philippũ,
Qui bonus est, quouis, proꝗ malo colophum.
Scribitur: et recitat: nummus uenit aureus unus:
Et uatem colophi mille dedere neci.
Sylla dictator. Sylla potens rerum: uati, qui talia stultus
Obtulerat: dignum principe pactus: ait.
Tu mihi per diuos, per Cæsareamꝗ salutem
Iura: tum merces magna tibi dabitur:
Te mihi confirma scripturum carmina nulla
Dum uiuis, iurat munere diues abit.
Eupolis Alcibiades. Cliniadi accincto stultus mouet: Eupolis iras
Carmine non parcens dilacerare uirum:
Iste rapit uatem, tractumꝗ ad littora ponti
Fune ligat, iactum mersat, et amne lauat.

Dum iacit

Dum iacit et retrahit: miserum ueniamq; precantem
Vocibus his, calamum temperet arte, monet.
Tu me tingebas maledictis, ipse uicissim
Salso tingo mari te modo, tuq; canas.
Magnus Alexander, dictator Sylla, et Achæus
Vatibus ignauis, sic tribuere decus:
Si princeps noster, qui præstat regibus illis:
Talia pro meritis præmia digna daret:
Lingua latina suas radices (peste remota)
Spargeret: et fugeret sordida barbaries:
Iam petit ordo, tuas ut primum soluere tentem
Gerras: quas credis tela timenda mihi.

Ad calumnias.

Tu stous portus leuis et syluas Academi
Cornicaris, aues dicier atq; sophos.

Ad primam calumniam

Mox, iræ medicum primum censes Epicurum.
Dogmata Aristippi cautior ipse siles.
Sic canis in uarios dispensat aromata morbos,
Et medicas herbas: sus lutulenta coquit.
Dumq; sophos magnus cupis atq; poeta uideri:
Neutrius gustum te tenuisse doces.
Te stoi portus fatuum stolidumq; reuincunt:
Et tua derident carmina stoicidæ.

Caue erres.

Porticus est doctis, Stoa quæ appellatur Athenis,
Zenonis sectæ nomen et illa dedit.

Stoi portus pro stoicæ porticus.

Stoicus est stous tibi, porticus est quoq; portus:
Nautarum portum, sic facis esse scholam.

Hinc quia socratico dignum, dignum ue poeta
Nil dedit ingenium, nil dedit ars ue tibi.
Triste nimis uirus, fœcundo pectore clausum:
Quum tibi displicuit laus aliena, uomis.
Baubatu indocto, tenues tum polluis auras.
Cerbereiq; canis protinus ora patent.
ad secundā. Chœrilus at tibi sum: tu non æquaberis illi:
Sed tibi collatus, magnus HOMERVS erit:
Chœrilus et magno quantum concessit Homero
Tantum illi cedis liuide nemo tibi.
ad tertiam. Meq; Midam dicis, nec cur sic dixeris adfers:
Sed quæ tu cantas non feret ipse Midas.
Pana Midas laudat: te non laudaret: at aure
Carmina, quæ fingis, nec tolerare potest:
Illius extantes non tantum prægrauat aures
Musca grauis: quantum carmina cassa tua.
ad quartam Quæ scribo, satis esse strepis muliebria: tu iam
Tutatus partes fac uideare uiri.
Sexus uel sensus sana de mente profectus
Nullus inest nugis macte poeta tuis.
ad quintam A te laudari dicis me uelle: sed audi:
A te laudari non leue duco probrum.
Nam (scio) quæ laudas, doctis non posse placere,
Et quæ tu damnas, sint ea quæso mea.
Si mea laudaui, dictum, loca, uel dato testes:
Aut aliud quod habes, tunc tibi habenda fides.

Tu tua

Tu tua ſic iactas, ſtudijs præfers aliorum,
  Vt riſum ac odium ſermo tuus pariat.
Sunt loca, ſunt teſtes, ſunt dicta recentia præſto:
  Qꝫ te mireris, quæ memorare ſolent.
Sunt tua ſcripta, quibus ſi contradicere pergis:
  Vinceris toto perfidus ipſe foro.
Adde ꝙ in nullo te mulces: ni reprehendas
  Immodice cunctos, ſi tibi diſſideant.
Sit mihi nulla fides, niſi quæ de more libellis
  Præfaris: plane teſtificentur idem.
Inſectaris enim lingua calamoqꝫ procaci
  Doctos: et præ te nil ſapuiſſe putas.
Innumera ut taceam, quædam uulgaria nuper
  Diuite cum pompa diſijcis in populum.
Quæ dixi, poterunt non nulla parte uideri
  Illic: et cerebrum turpe patere tuum.
Illic clam mordes alios, alios ita tangis,
  Attente ut relegens, nomina ſcripta putet.
Cum dicas cæcus peregrinis uectus ab oris,
  Quem ſic ſugilles quis dubitare poteſt?
Impia uox, quæ luminibus ſine crimine captum
  Deridet, tangit nec tua corda pudor.
Te tamen eſt decuplo mage doctus: dũmodo doct⁹
  Tu dici poſſes: qui neqꝫ doctus eris
In quoſdam morſus iacularis brute caninos
  Sub frugi ſpecie nigra uenena tegens

Scilicet accuſans illos : imitamine ſolo.
Qꝫ fallant pueros : quod neqꝫ crediderim:
Sed nudas animas implent authoribus : in quis
Oſtendunt methodus qua ratione latet.
Tu moliris uti populus tua ſcita loquatur
Barbariemqꝫ tuam pectora pura bibant.
Hoc docet expreſſe turgens præfatio quæqꝫ :
Quid uelit iſte animus protinus inde patet.
Nam ſimul ac alios laceraſti : commoda multa
Inculcas : pueris quæ tua ſcripta dabunt.
Quæ ſi re uera poſſes præſtare : ferenda
Talia permitto : ſint odioſa licet.
Nunc quia ſic alios reicis, tete quoqꝫ uendis,
Et tua tam mala ſunt : neutiqꝫ doctus abi.
Promittis lucem : tenebras infundis : et ordo
Qui fuit ante bonus, nunc perit, eſtqꝫ malus.
Et recte dictis obgannis teqꝫ daturum
Lac gallinaceum ſcitaqꝫ Pythagoræ.
Integra quæ fuerant : nunc ſunt truncata maligne
Vera premit falſum : ſic tibi nomen emis.
Similia. Peſſima quo uendas, opus eſt mangone perito:
Qui Smithfeldenſi polleat eloquio.
Vt mutulum ſeruum uendas, opus eſt tibi fuco
Et turpis uirgo ſmygmate dotis eget.
VVhitintosniana cur tã popularia. Sed dicis, mea certatim uulgaria quiſqꝫ
Lætus emit : lente dum tua rarus emit.

Ad quod

Ad quod ego, non quiſq; : ſed is qui non ſapit, et qui
Sordibus imbutum gaudet habere ducem.
Horum igitur numerus quoniam q̃ maximus extat:
Venduntur paſſim peſſima ſcripta tua.
Poma ſub autumno pueri uenantur, et implent Simile.
Viſcera gaudentes : nulla futura uident.
Sed quum uenit hyems patiuntur tormina uentris
Et dicunt : mihi ue, parturit iſte cibus.
Sic modo qui læti tam tetra uenena receptant :
Poſtea damnabunt ſe didiciſſe tua.
Ridens et ſannans magnum quid uelle theatro Ad ſextam
Me ranam dicis, quod ſit inane coax.
Aſt ego ſi monſtro, ranas muſa meliore
Nectere concentum, q̃ tua muſa facit.
Ranarum luteis bellis uix eſſe poetam
Scribendis dignum te quoq; uane probo.
Thraſonis fundam exoptas mihi longius adſtans Ad ſeptimã
Vt te percutiam : cominus at feriam.
Excors quęris opem, ſic ſunt tua proxima uerba, Ad octauam
At tibi quicquid habes ferre nequibit opem.
Mox cum panniculo me gaudes dicere ſangam. Ad nonam.
Eſto : tuas ſordes tergere nemo poteſt.
Tum magis inſultas dicens : illuſtris Eraſmus Ad decimã.
Te coquulum aut lixam nauſeet eſſe ſibi.
Neſcio quo tandem me dignatur famulatu : Diſthicon
Nec detrectabo, quod uolet obſequium. VVhitinto.

Ille suo meme non dedignatur amico:
Atq; manu scriptis uisit epistolijs.
Te (scio) si norit: te munere dictet utroq;
Plus dignum, chartas ꝗ replicare bonas.
Nam tua si relegat, generabit nausea ructum:
Et stomachum faciet, sedis abire loco.
Mensis erat sextus uel multum, septimus anni:
Illius laudes quum mihi sic caneres.
VVhitintonus simulator et uersipellis.
Et satis est notum prius et post illa: malignis
Quem tunc laudaras te lacerasse modis.
Nunc timor atq; pudor, profert illustris Erasmus,
Lingua tamen uomuit impia sacrilega.
Quæ sunt illa, loco proprio dicetur, et angui
Pandetur q; sit lingua trisulca tibi.
Nam neq; te latebræ: nec te diuortia possunt
Abdere quin pateas et caueare bonis.
Algidus ac urens sic flatus prodit ab ore
Vno: te satyrus pellet ab æde sua.
Ad vndecimam,
Te rident docti, rident dociles q; puelli:
Et cæcus iactas, me scio quisq; colit.
Si te quisq; colit: tunc te ueneratur, adorat
Rex, et papa, deus, sacraq; uirgo parens.
Quod ꝗ sit dignum, uerpus nouit Mahometus:
Tam male quum diuos et pia iura colas.
Ad duodecimam,
Pauperiem suadet Christus: quam das mihi probro
Hostem te Christi uerba manusq; docent.

Quæ

Quæ tibi causa precor, cur tu migraris in aulam?
Nulla quidem uirtus, sed neque scire tuum.
Accersunt alios uirtus sua, claraque summæ
Munia doctrinæ, consiliumque graue.
Inclyta strennuitas: pollens in rebus agendis
Cautaque sedulitas, et taciturna fides.
In te sunt horum penitus uestigia nulla:
Sed nec habes umbram quæ sit amica tibi.
Ingeris ast tete: supplex blandiris, et omni
Obsequio facilem te geris atque pium.
In promptu causa est: nec te simulatio purgat:
Vestigas prædam quæ tua uota leuet.
Tu docti sanctique uiri loca pessimus imples
Polluis exemplo pectora pura tuo.
Carmina scurraris, quum uerbi semina sacri
Postulet officium consiliumque pium.
Est male grex faustus cui sors per iniqua reliquit
Talem custodem, uerius atque lupum,
Esse ne dux uitæ, commonstrator ue salutis:
Qui tam sordescit moribus: ipse potest?
Cur mea conquereris blatte quod opuscula rodant:
Nec te ea liuidulo prendere dente sinam?
Inuidia cæcus, mea tu uulgaria damnas:
Et uisa exclamas talia nulla tibi.
Nam quæ sunt laudis poteris tu nulla uidere:
Quæ pariunt crimen protinus illa uides.

Causæ honestæ petandi aulam.

Ad tertiam decimam.

Inuidiam tristem si pingere uellet Apelles:
Te bene perspecto, fiet imago fremens.

Dilemma.

Si nihil emisi, nihil in quod figere dentem
Iure potes, patuit: sint mea duco nihil.
At figis dentem mea tu uulgaria mordens:
Ergo aliquid mordes: quodq; fatere meum.
Sic rudis et fatuus penitus contraria gannis,
Vt pateat solidum te didicisse nihil.
Aut alijs fortasse legi mea dixeris, at tu
Non ea gustaris sic tua culpa redit.
Nam si ea condemnas, quæ nec tu uideris unq̃
Quale tibi cerebrum: qualeq; scire liquet.
Sic quocunq; loci capitis tam triste cerebrum
Se uoluit torquens: non nisi ineptus eris.
Sed si quæ scripsi, possunt tibi nulla uideri
Vel nunc ausculta: quæ modo monstro tibi.
Profero mox aliquid, quod te uidisse pudebit:
Optabis calamum tunc tacuisse meum.

Ad quartã decimam.

Iamq; uidete rogo: q̃ sese iactet asellus.
Flaccifluas aures cornua dura putans.
Vtq; magis tumidum uatem sine corde furentem
Noscatis: ponam, quæ mihi uerba canit.

Disthicon VVhitintoni.

Ante tua excludas decima trieteride pressa
Ni putrefacta sient, dehinc mihi censor eris.
Ex stulto sapiens: indocto doctus haberi
Posses: si faceres quod mihi das uitio.

Si tuã

Si tua pestiferi spurcamina plena ueneni
  Damnasset tenebris styx sine fine suis.
Anglia iam pridem tincta esset pulchra iuuentus
  Grammatica iusta floreq; uerniloquo.
Dij nimis irati quod solis ab axe Prometheus
  Ignem furtiuo tramite sustulerit.
Atq; luto glebam compactam, sic animarit:
  Vlcisci damnum sic uoluere suum.
Amphora Pandoræ morbis datur omnibus uni
  Plena: sed obstructum continet os furias,
Hæc quasi dona ferat mortales prouocat: illa
  Sed satus Iapeto sat cauet ac reicit.
Non ita peruigilans Epimetheus frater operclum
  Eximit: et patulo morbus in orbe uolat.
Tum febris decuplex: et morborum genus omne
  Mortales miseros occupat atq; necat.
Sic tua, grammaticis morbis et sorde referta
  Mantica, quum patuit: sermo latinus abit.
Copula lege carens connectit barbara uerba:
  Castoreis pedibus carmina succutiunt.
Huic uice mutata penitus lethargicus addis
  Disthicon hoc salsum, disthicon hoc fatuum.
Ecquid obortiuit iactans ex tempore partum
  Pape: hunc sex lustris parturijsse ferunt
Si sic iactaui: nisi mendax dicier optas.
  Verba, locum, profer: tum tibi credo aliquid:

Promethei furtum.

Pandoræ amphora.

Amphora morborũ.

Epimetheus.

Morbi euolant.

Disthicon VVhitintoni.

Quod non posse quidem scio te, nec testis honestus
Produci poterit, qui tua uerba probet.
Ad quintā decimam.
Ingenium tardum: mea quod uulgaria multis
Annis parturij, despicis atque spuis.
Quis tibi tot lustris me sudauisse probauit?
Nemo non uano præditus ingenio.
Ipse tamen fateor, scripsique satis manifeste.
Quod ratione proba sint ea parta mihi.
Dixi, me multos annos scriptoribus amplis
Inuigilasse, meum sic petijt studium.
Interea quicquid pulchrum dignumque notatu
Occurrit, placuit condere sepositum.
Materies ita magna mihi conflata iacebat
Informis, nec sic illius usus erat.
Tandem captato mihi tempore, quando uacabat
A studijs: solidum quæ mage pondus habent:
Experiar dixi, nostri sermonis in usum
An flecti possint hæc modo tam refuga.
Nanque prout fuerant natiua in sede locata
Nostrum sermonem non potuere loqui.
Quod potui feci, doctis meliora reliqui:
Distribui in classes, crudus ut ordo tulit.
Hæc tibi momenti si nullius esse uidentur:
Sint sino nullius: dummodo sint aliquid.
Sicque caput proprium mihi demulcere liceret:
His collata putris sunt tua spurcities.
Nam

Nam mea nituntur claris authoribus: unus
Es tuus ipſe tuis author et actor homo.
Et fieri poterit, paucis ut menſibus, amplum
Adniſu: noſtrum perficeretur opus:
Quum præturpe tuum, contractum corpore longũ
Sordibus: in duplo tempore ſubſtiterit.
Et te q̃ ſapias prodis, quod credis habendum
Laudi, ſarmatico præla replere libro.
At quod agis longo meditamine præueniendum
Eſſe iubet Solomon. Non ſapit ille tibi. Sententiæ.
Quam properando nimis, nemo præſtare ualebit.
Cunctando peragunt rem bene conſilia.
Arua parant fruges tardo boue culta: fugaxq;
Nil præſtare poteſt ad mea rura lepus.
Ingenio ſubita gaudes uertigine rapto
Sicq; ruunt cerebro phaſmata uana tuo.
Inde fluunt ſordes et peſſima dogmata: paruos
Quæ fallunt pueros: præcipitesq; trahunt.
Extat Ariſtotelis uerbum quod neſcius imples:
Pauca ſciens, quod habet fundit ab ore cito. Sententiæ.
Vaſa ſtatim reſonant quum tangit inania quicq̃,
Plena licet multo uerbere pulſa ſilent.
Si mage diſcendi q̃ ſcribere noxia mentem
Indueres: fieres doctior ac melior.
Nũc quia mens tumida eſt, et uanos ſpirat honores:
Doctrinæ expertem nulla ſaburra regi[t]

Ad sextam decimam.

Sat bene te noui dicis: meretricia uerba
Hæc sunt: et mentis sordida signa tuæ.
Obscœnum quando iactat conuicia scortum
In purum: sordes, quas alit ipsa, uomit.
Ipse mihi notus q̄ sim: uellem tibi nosci:
Vt uirus posses euomuisse tuum.
Me mage non nosti, q̄ cum quibus est mihi uictus
Assiduus: quorum sit uolo iudicium.
Te noui nunq̄, sed qui uir sis, tua partim
Scripta docent, partim qui tua gesta sciunt.
Impuros mores instillant auribus illi:
Quos taceo, nisi tu proditor esse uelis.
Q; si sis talis, qualem pingunt mihi quidam:
Et faciunt uerbis plurima facta fidem:
Incessendi alios, quæ te fidutia demens
Inflammet miror, non tibi honesta uides.
Nil minus esse reor, tibi conducens uel honestum:
Q; maledicendo sic stimulare uiros.

Sententiæ.

Quæ uenit ex uerbo petulanti sæpe uoluptas:
Vergit in angorem: subsequiturq; dolor.
Qui quod uult dicit, quod non uult sæpius audit:
In se tela parat: quem stimulare iuuat.
Qui nimis emungit: sanguis facit inde sequatur:
Quem fors quum cupias non inhibere potes.
Sed quid me deceat non immemor, omnia mitto
Probra, quibus scurræ deblaterare solent.

Illa uel


Illa uel inuitus tracto, quæ crimina ſignant:
Mi quibus inſultas teq; ſcatere doces.
Eſt alijs ſatis ingenij ſatis atq; probrorum
In promptu poſitum, quo tibi triſte canant.
Si mihi non credis poſt experiere loquutum
Vera, licet ſurdo me ceciniſſe putem.
Morbi huius cauſã Plato monſtrat, Apollo medelã: Plato. Apollo.
Auſcultans illis rectior eſſe potes.
Nam proprij ſceleris (Plato fert) obliuio: gignit
Audaces animos, eſt medicina prope.
Pythius hanc tibi dat, proclamans noſcito tete:
Sic ſapere incipies: facta ſequetur honor.
Eſt inter doctos nonnunq̃ pugna: ſed inſons
Et ſentire ſuum dicere cuiq; licet.
Morſibus at patulis, clandeſtinoq; ſuſurro
Graſſari: longe diſtat ab officio.
Hic uolo mi dicas, claras an credimus artes Suaſio amica.
Ad morſum, et rabiem perniciemq; datas.
Haud ſane, ſed in auxilium cultumq; uirilem,
Corporis ac animi, quo bene uiuat homo.
Fallere: ſi nomen credas tibi querere magnum
Dum laceras alios: hæc uia tartarea eſt.
Officium placidum, dulcis concordia, nexus
Cum ſtudij ſocijs, nomina magna dabunt.
Ergo age, te noſcas, alios inceſſere parce:
Vita per hanc artem fiet honeſta tibi.

Est ætas, est longa tibi experientia rerum
Flagitat hoc tempus, ne tibi desipias.
Flagitat ordo tuus, ne uertas quod didicisti
In linguæ et calami flagitiosa mala.
Expostulatio. Plurima scripsisti, quæ q̃ sint sordida constat:
Attamen a nobis non fuit ulla nota.
Hoc unum mihi displicuit, dixiq; frequenter:
Quis mordes alios: nulla placere mihi.
Vnum prodit opus mihi natum, carmine, lingua
Non cessas illud dilacerare procax.
Nec tamen obiectas quicq̃ uulgaribus illis
Deprensum uicij: cur tacuisse libet.
Hic fuit ille locus, magnas qui traderet ansas:
Vellere quis posses non bene dicta mea.
Argue quæ mea sunt si possis: et tua forti
Defendas clypeo, sic mihi doctus eris.
Ni facias: puero primis elementa figuris
Inuestiganti, te minus antefero.
Ille etenim peccat uenia dignissimus, at tu
Nominibus multis uerbera magna meres.
Vt tua defendas ius est, et flagitat æquum,
Non aliter censor strennus esse potes.
Si mihi grammaticus magnus, grandisq; poeta
Vis iuste dici: fac tua magna legam.
Hunc ego præclaro neutrius dignor honore:
Neutrius recte qui facit officium.

Sunt in epistolio, nebulonis plurima uerba.
Scripta tuo : partim quæ recitare piget.
Partim seruantur : per colum traijcienda:
Fœcibus ut patulus sit magis ipse locus.
Quod si, ut cœpisti uerbis scurrilibus uti
Decernis, nec erit pro ratione modus.
Deniq; si pergis totos intendere neruos,
Vt fias uerbo, carmine, scurra potens:
Si debacchari, dulcis tibi uita uidetur,
Atq; tuæ gerræ nil rationis habent:
Linquo tibi tete, socijsq; tuis, ego rectis
In studijs cupio tempus obire meum.
Te quoq; scire uelim, quamuis latratibus auras.
Polluis : id nullo pondere respicio.
Non tamen ipse sinam, blandiri te tibi, rursus
Quod sim scripturus (te lacerante) nihil.
Sic pacis belliq; potes tibi ponere legem:
Vtrum sit melius quis dubitare potest?
Quicquid in his facies : ego sus, de, pondero iuxta:
Et multo melius q̄ mereare, Vale.

Apologetici Guilielmi Hormani Cæsarisburgensis contra Roberti VVhitintoni protouatis Angliæ inciuilem indoctamq; criminationem pars posterior.

Hactenus

Actenus obieci uates tibi crimina multa:
Grāmata quis mactas, me quoq; dilaceras.
Sed nihil in lucem ꝓduxi quod manifestam
Grammatices læse posset habere fidem.
Vnde mihi merito posses intendere litem:
Si quæ iactaui, non tibi uera probem.
Flagitat ergo modus concors, et postulat æquum,
Vt tibi proponam, quæ faciunt ad idem.
Et faciam, si principio pro cardine dicam:
Quænam conflictus forma tenenda mihi est.
Pleiades. Maia. Nam neq; de musis tecum certamen inibo:
Vna ue Pleiadum Maia cur lateat.
Dithirābus & mesis. Di (ue) thirambus habens loculos in utroq; parente:
Per geminas portas, bis satus ignigena.
Cur puer æternus : cur cum sibi cornua sumit
Indomito tauro sæuior esse solet.
Poetarum corona. An uiridi lauro caput, an pallente poetæ
Exornent hedera, cur quoq; fiat ita.
Rapsodia. Carmina quæ et quando possint rapsodia dici:
Et similes nodos ecce remitto tibi.
Diastatica. Mitto diastaticam magno clamore furentem:
Quæ petit erectos atq; truces animos.
Systaltica. Adstringens animos systaltica, quo pede gaudet:
Vt se submittant, qualia poscit amor.
Hesicastica. Demulcens animos hesychastica, qua ratione
Vt medium placidum diligat, efficiat.

Dramata

Dramata legitimis quot constent motibus, et quo
Tempore discessus sint habitura suos. Drama.
Et quot sint partes (in quo tu turpiter erras)
Grammaticæ puræ, quam uiolare studes. Grammaticæ partes.
Quodq; sit officium, quod poscit horistica, quod ue
Historicæ, obiecto talia nulla tibi. Horisticę. Historice.
Quamuis ille duplex titulus, quo uane superbis:
Hæc et plura petant, prorsus inesse tibi.
Sed mihi fac dicas cur tu tot crimina peccas:
Pro quibus ad ferulam dat puer ipse manum.
Legitimos uocum nexus cur turpiter errans
Eneruas, faciens ut sine lege fluant?
Atq; suis passim uitijs pars quæq; laboret:
Seu pedibus nexis seu pede liber ades.
Hæc sunt illa quibus te respondere parato:
Nam proponetur copia magna tibi.
Nil tamen obijciam cuius depellere posses
Crimen, in alterius (fraude latente) caput.
Nec calami lapsus, nec grammata uersa uel amplus,
Exilis ue sonus, te dabit esse reum.
Obscurum, leue, non pendens, fatuum sine sensu,
Atq; superuacuum, quod ue stat improprie.
Fastus, et irridens alios iactantia mordax,
Promissis magnis præstita nulla fides:
Vix attingentur: quia sunt communia passim,
Omni sermoni consociata tuo.

Ordoq; talis erit : primum tentabo, latine
Si proprium nomen uoce ſonare queas.
Inde tibi ſordes proponam, quas uomit illud
Quo me riſiſti uanus epiſtolium.
Et quia prologuijs diuendis opuſcula pulchris.
Experiar uerbis qualis habenda fides.
Nam contemnis in ijs alios, et crimine damnas:
Qꝛ nimis obſcuri ſunt : uel habent aliquid.
Quod noceat pueris, et tempus ducat inane:
Laudem uel lucrum dum ſibi quiſq; metit.
Pulchris promiſſis dum fallit utrunq; parentem
Sic puer euadit ſtultus et inſipiens.
Te, ſuper his dicis ſumma pietate moueri:
Antidotum præſens, ſcribis habere tua.
Te certam, facilemq; uiam, plenamq; daturum.
Promittis : puerum quæ iuuet atq; uirum.
Vtq; fidem dictis facias, uulgaria profers
Cum ſummo ſtudio peruigilata tibi.
Hæc quicunq; ſuæ iugi meditamine menti.
(Vt ſpondes) mandat : non mora, doctus erit.
Dummodo præſcriptum, ſtudeat ſupplex imitari:
Nam (niſi crediderit) charta laborq; perit.
Hinc eſt ꝙ doctos, tua ne ſpurcamina damnent:
Ire procul iubeas, criticulosq; uoces.
Et quicunq; tuæ laudator colluuiei
Non eſt : hic ronchus fit tibi, moxq; Midas.

Nomina

Nomina ſic alijs aptas : tibi propria quæ ſunt:
Si par ſit rebus nomina congruere.
Et quum derides omnes carpiſq; cruente:
Te carpi quereris : ſic gemis atq; feris.
Nec tamen obſtabunt hæc omnia quin ueneremur
(Si quod ais præſtes) te ſimul atq; tua.
Nam ſunt pulchra nimis, quæ nos ſperare iubere
Sic non formidas, nec minus utilia.
Sed ſatis eſſe nequit uerborum nuda ſupellex,
Debent cum dictis facta coire ſuis.
Fac igitur magnis promiſſis acta coeques
Sin minus : hortamen ſpernimus omne tuum.
Nec potis eſt nobis præſtari talia poſſe
Perſuadere : niſi ſint tua ſat ſolida.
Si ſyncæra loqui, uel ſcribere recta, docere
Me uis : exemplum da mihi quæſo tuum.
Si te deſtituant uires quia turpia neſcis
Vlcera doctrinæ diſſimulare tuæ:
In ſtolidis uerbis tu non ſperabis aſylum:
Nec latebris tutam poſſe parare fugam.
Talia te ſcurram non poſſunt uerba tueri:
Atq; tuum nomen non ſatis iſta iuuant.
Qualia ſæpe miſer diſpergis, qualia multa
Nuper in inſano uidimus Antilyco.
Dogma tuum ſtolidum q; iuſta laude beaſſet
Et te pinxiſſet, pollio : quiſquis erat.

Quicquid enim latras, niſi te ratione repurges:
  Barbarus, indoctus, pernicioſus eris.
Errorumq; ſator, doctrinæ funditus expers:
  Quæ inter ſpectatos, debet habere locum.
Gerro tibi nomen poſthac et Zoilus impos
  Indetur: fies fabula nota foro.
Tuncq; ſcient homines, q̃ falſo tegmine, uatis
  Impoſuere ſibi dogmata peſtifera.
Tunc facile agnoſcent, quibus eſt cōmiſſa poteſtas
  Sanandi talis uulnera tanta mali.
Erroris quantum praui, quantumq; ueneni
  In teneros animos ſic penetrare poteſt.
Sunt ea quæ diſcunt, tam fœdis obſita mendis:
  Vt ferme nuſq̃, ſit locus abſq; nota.
Aſt horas uacuas ea ueſtigatio poſcit:
  Vt ſe contempler, me meliora uocant.
In leuibus rebus, ſi talia crimina regnent:
  Quid fieri ſperes, ardua quum ueniunt?
Sed iam tempus adeſt, ut quæ ſine lege ſtatuta
  Accuſo, ponam: diſcutienda tibi.
Ergo ades o uates, nec eris mihi grammaticaſter:
  Ni quæ proponam, pura latina probes

Whitintonus. Roberti whitintoni Lichfeldienſis grammatices magiſtri et prothouatis Anglie/in florentiſſima Oxonienſi achademia laureati de octo partibus orationis.

Hormanus. Habet hæc inſcriptio tot ominoſa portenta quot Iuſtiniani illuſtria præconia,

whitin. Roberti whitintoni.
Horma. Roberti cuius amabo casus? et cur ita?
whitin. Grammatices magistri.
Horma. Quonam pacto / an ut magister equitum / magister bestiarum? Certe dominio pessimo in rem latinam / Cũ eã sic excarnificeris ad multorũ perniciem. In calce etiam operis de octo partibus scribis te magistrum artium. Quarum tandem artium / et ubi iniciatus es / an in Vtopia?
whitin. Protho uatis Anglię.
Horma. Vt de manifesto mendacio / et impudente arrogantia nihil dicam: qualis grammaticus et poeta / talis sui nominis præco. Quantum hic intersit / inter genitiui primitiui et sui possessiui usum / obtusior (ut uideo) est tua uena q̃ internoscas. Quando enim poeta uim habet uerbalis nominis: protouates Angliæ / hoc pollet. primus factor Angliæ. ut rex Angliæ / quia rector Angliæ. Vnde Crinitus recte dixit Sophoclem tragœdiæ poetam: non autem dixisset poetã Athenarum / ubi natus est. Audi poetam Ouidium.
Quam satis ad superas postq̃ Rodopeius auras
Defleuit uates. Audi eundem.
Carmina dum tali syluas animosq; ferarum
Threicius uates / et saxa sequentia ducit.
Sunt et eiusdem et aliorum poetarum infinita pene testimonia. Q; si dicas metri necessitate id factũ / qualis sis poeta uere confiteris. Sed audi oratorem lactantiũ / quẽ diuus Hieronymus ob egregiam eloquentiam non dubitat christianum Ciceronem appellare. Is de decem sibyllis disserẽs sic eas recenset ut dicat Sibyllã Libycã / Delphicã / Cumęam / Erythream / Samiam / Cumanã / Helespontică / Phrygiam / Tiburten. At primam noluit appellare persicam / ob necessariam in grãmatice causam / quam ni fallar ignoras Etiamsi dicimus ensis persicus / poma persica / et alia id genus. Multo igitur magis horruit dicere psidis. sed maluit dicere de persis. Sed triuiali loquentiæ tuæ sufficit / q; fœtutiuã illam regulam de duobus uariæ significationis substantiuis concurrentibus indiscrete sis sequutus.
Errata in epistola sordida ad Hormanum.

Magister grãmatices.

Protouates Anglię.

Ouidius.

Lactãtius christianus Cicero. Sibyllae.

Conuicia cor. antepenultima.

whitin. Conuicia euomitans vociferata satis.

Horma. O protouates quomodo in tuis placidis cytharis sonat hæc chorda. Conuicia euomitans, audi Martialem, Lis erit ingenti faciet conuicia uoce.

Iniuria cor. antepenul.

whitin. Iniurus veniam lecera sacra monet.

Horma. Ecce aliam chordam ex lupinis fibris natam. audi Vergilium. Manet alta mente repostum Iudicium Paridis spretæq; iniuria formæ.

Furias pro furas.

whitin. Nec furias moneo si mea musa silet.

Horma. Latinum ex VVhitintoniana Minerua profectũ. Nam pari iure dixeris: Ne legias pro ne legas. Dicimus enim furo furis: et non furio/is. licet furio furias dicatur in alio significatu: qui hic locũ habere nõ potest. Et ne subitariũ lapsũ causeris: audi eũdẽ errorẽ/sed multo fœdiorẽ in tua grãmatica/quã sic cõdis: furio sido fero quatio sum sistoq; poscor &c. Vbi præter iã dictã barbariem/primã dictionis syllabam producis. Siccine est emendare grãmaticen: quę ante tuam corruptelam sic habuit. Aio sisto fero tollo ferio furo cerno.

Thraso pri. cor.

whitin. Si Thraso bella paras.

Horma. Doctus priorem in Thraso produceret: nisi ex maiore inscicia illud affers Ouidianum. Ante diem rapto non adeũda Thraso. Hic. n. Thrasus est alteri9 iuuenis nomẽ.

Phreneticum.

whitin. En tibi qui risum sardoum iure propinet.
Teq; fere rabiem (simia dicta) tue.

Horma. Hoc disthicum aliud non petit responsum: nisi ut legentes tuam uideant phrenesim.

Scomma. Ledoria. Impudentia.

whitin. In eundem Hormanum scomma satis iocundum.

Horma. O miserum sacerdotem/quem suum studium non pudet scomma appellare. Quum tamen re uera merito lædoria debeat dici. Quin et suum fatuum scomma non erubescit satis iocundnm prædicare.

Prenitas in deterius.

whitin. Ignotum obtrectas.

Horma. Quum per metrũ licebat tibi longe elegantius dicere: Ignoto obtrectas. Dicere tamen maluisti ignotum, id quod ubiq; facis. Quoties enim quippiam uarium habet usum/semper incumbis in deteriorem authoritatisq; minoris partem: inscitia tua fretus.

whitin.

whitin. Aetherea hec ingens illeat memphitica moles. &c.

Horma. Ne sutor ultra crepidam. Si cessarent alia argumenta omnia/ hic uidere est obstipum ad poeticen et infelix ingenium tuum. Qui quum deberes Martialem imitari in ridiculum/ incidis furtum. Et quod multo stultius est cōtra omnem artis præceptionē in penitus alterius generis materiam desinis atq; exis.

Imitatio fatua.

whitin. Affectata licet sibi gloria non datur aha.

Horma. O barbare quænam hic est reciprocatio: ut sibi hic statuas?

Reciproci abusus.

whitin. Pape hunc sex lustris parturisse ferunt.

Hormanus. Priorem syllabam huius interiectionis pape erronee producis quum eam corripere debueras. Sed ad cumulum tuę inscitiæ accedit: ut intempestiuo interiectionum usu plurimum gaudeas: ut morio nolis: quum semper in eis labaris tempore/ significatu/ et accōmodato loco: ut etiā in his ohe aha at at/ q̄bus uētilandis immorari piget.

Pape pri. pro.

Interiectionū intempestiuus vsus.

whitin. Ex regio palatio in calisiensi castello pridie calendas Junias velis equisq;

Horm. Fœdam barbariem passim ructas. Si uulgaria mea quæ tantopere irrides/ ęquo animo inspicere libuisset: illic discere potuisses ita latine scribere. Ex Gessoriaco siue ex Iccio. Nam utroq; significatur/ quod uulgo Calesium dicitur. Authorib9/ Cæsare in cōmentariis/ Tranquillo/ Plynio/ Ptolomeo/ Strabone/ Pomponio Mela. et nonnullis neotericis. Ex quorum plurimis: hæc pauca accipe. Cæsar. Omnes ad portum Icciū conuenire iubet/ quo ex portu cōmodissimū in Britanniam traiectū esse cognouerat. Suetonius de Claudio. Quare a Massilia Gessoriacū usq; pedestri itinere confecto: inde transmisit. Mela Ab illis iterum ad septentriones/ frons littorū respicit pertinentq; ad ultimos gallicarum morinos: nec portu quem Gessoriacū uocant/ quicq̄ habent notius. Philippus Beroaldus. Gessoriacum hodie uulgo Cales nūcupatur. Volaterranus. Postea Morini/ in quorū littore Iccium promōtorium Ptolomeo Cæsariq;. Gessoriacum quoq; portus Plynio Tranquilloq;

in Claudio. Vnde in Britanniā facili transmissu Claudius penetrauit. Is nunc a Britanniae regibus tenetur calesium appellatus. Iam uide, cū doctis: an cum barbaris tibi fluat sermo? At sol⁹ Strabo sic habet. Mēapijs ad mare proximi sunt morini et bellonaci/ et ambiani/ et suessiones/ et caleti usq; ad Sequanæ amnis exitū. Ergo/ haud quāq caleti sunt populus/ ubi est portus morinorū, sed plane/ tua hæc non capit uena. At dic tu grāmatices cōditor/ imo pestifer corruptor. quanā analogia a calete uel caletes deduci potest calisiēsis? Iam qualis est ista facundia/ quę pro arce ponit castellū? Hęccine est ea: quę pricipū decora capessit describēda.

Phreneticum.

whitin. Vons reboat quid hoc est? at at? hinc fugias procul asta
Deus? nihil Hormani in ilia rupta crepent.

Horm. Hunc dialogum tam argutum cōministi nō potuit ingeniū nisi phreneticū aut habēs salem quod in te est. En uides quomodo mihi crepent ilia rupta: sed fibra tibi cornea ferenda est.

In declinationes.

Partitio indocta.

whitin. Declinationes nominum tam latinorum q̄ grecorum patronymicorum et barbarorum.

Horma. Docta partitio quasi aliqua sint patronymica nec latina nec græca nec barbara.

In genera

Fallax arrogantia.

whitin. Habes in manibus lepidissime lector opusculum ex varijs ijsq; probis authoribus excerptū et uelut e multis fragminibus in vnū corpus (ere solidius) compactum Aristarchi obelis et astericis sepe castigatum: tunsiones innumeras ad incudē perpessum Quintilij lima ad amussim vt fertur tandem exactum.

Horma. Magnifica et gloriosa promissa ne unum quidem iota præstantia.

Insulsum.

whitin. Opusculum ex varijs ijsq; probis authoribus excerptum.

Hor. Quis dicendus sit author penit⁹ ignoras/ ut docebo.

Sermo insanus.

whitin. Et velut e multis fragminibus in vnū corpus (ere solidius) cōpactū.

Horma. Ad soliditatem plurimū faciunt fragmina.

Aristarchum se appellat.

whitin. Aristarchi obelis et astericis sepe castigatum.

Mendacium.
Inscitia.
Obelus.
Astericus pro Asteriscus.

Horma. Aristarchum nō pudet tete appellare. cum aperto mendacio quū in tuo opere sit ne unus quidem obelus aut asteriscus quem per inscitiam dicis astericum. Et per similem inscitiā contraria socias quū obelus iugulet asterisci restituat. O impudentem frontem.

whitin.

whitin. Nec immemor sum ꝙ cita et (ut dicam) precipitia uasutulorum ronchorum qui in aliena erratiuncula serpentinis sunt oculis solent esse iudicia.

Se pingit. Modi abusu[s] Viciosa structura.

Horma. Hęc in neminem perinde ac in te dici uere possũt. At doctulus puer dixisset soleant. Dic etiam quę structura Nasutulorum ronchorum.

whi. Fame igitur maturius ad tempus consulere malui. Cui quot sunt corpore plume (vt preclare admonet Maro) tot vigiles oculi subter totidem ora sonant: tot surrigit aures.

Error in nomine fama. Corruptela carminis vergiliani.

Horma. Vt poetam corrupte intelligis / ita citas: et eo abuteris. Dicis te consulere famæ. Cui tandem famæ. si huic qua de loquitur Vergilius. Id nullo alio pacto facere potuisses: nisi ut cum gruibus in patulum cælum uolasses: ibiq; uolanti famę te obiecisses: ut ei iter intercluderes. Nam paulo superius dixit Maro. Caput inter nubila condit. Quod si famæ tuę: id est opinioni et celebritati tui nominis consultũ uolebas: ut certe debueras: quid hic illud vergilianum assuis: quod ad rem nihil spectat.

whitin. In lucem iam euolet secundis precor auibus per tela per enses hoc opusculum / cui modo liuor si absit victo dabit nemo.

Barbarum.

Horma. Cui tandem cuius casus: audi Terentium. Nunquam rem uitio dent / quæso animum aduertite. Dixisset te pręceptore cui rei. sed in proxima æditione sapiente pœnitentia mutasti cui in quod.

Terentius.

whitin. Modo liuor si absit.

Modo si.

Horma. Elegans structura.

In etheroclyta.

whitin. Collegi que lege grammatica tritior vsus obseruanda censet.

Lex whitintoniana erronea.

Horma. Vbinam tam pestiferam legem grammaticam reperisti quæ obseruanda tritiore usu metiatur. hac enim lege / ab nr̃o usu reijcienda sint omnia: quæ apud te trita nõ sunt. hoc est tota ferme linguæ latinæ preciosior supellex. atq; inuicem (quod deus auertat) quę tibi nota tritaq; sunt id est sordidissima lege tua debent usurpari.

Whitintonus. Legimus apud Plautum delitia feminino genere et singulari numero. Et apud Ciceronem nex. et apud alios alia multa / que lex grammatica vetat.

Lex fatua. Delicia. Nex.

Hormanus. Profer o demens eam legem. Atq; audes tu ea damnare: quibus Cicero usus est. Quum tanquã Axioma

sit/ quo aliquando usus est Cicero: illud esse legitimum
Vtũtur aũt nex Cicero/ Sisenna/ Ausoni⁹/ diuus Ambrosi⁹
Inscitia whitintoñ.
et plærīq; alij doctissimi, sed adhibita cautione tibi igno-
ta. Hic etiam uidere est acumen tuum disserendo de hete-
roclytis afferẽdo nex pro exẽplo. Est ne nex heteroclytum

Pestiferũ whitintoni institutũ. Caue venenum. Raro inuentũ.
whitin. Quare ne quod veteribus licuit scriptoribus/ tibi quoq; licere in ea re reputes/ aut quod raro inuentum est/ aut figurate/ aut incuria quadam elapsum/ in tritum vsum arroges: probabiliter subiunximus precepta.

Horma. De ueterum licentia tecum nõ pugno. De reliquo tuam sententiam ut ominosam execror. O latinæ linguæ ciues omnes/ uestram appello fidem. Promittit hic Aristarchus se præcepta probabiliter traditurum/ quib⁹ ab omni bonæ eruditionis et cultioris doctrinæ fructu atq; profectu deterreamini. Prohibet enim ne quo pacto ea nostrũ in usum uendicemus: quę inuẽtu rara sunt. Prohibet ne attingamus ea/ quæ figurate dicuntur/ quæ ue incuria elapsa sunt. Ergo/ iudice vvhitintono crucẽ meruisti Poggi Florentine: qui nuper Quintilianũ paulo minus deperditum et doctissime Huttene/ qui nuper duo liuiana uolumina in lucem restituistis. Et ut de multis alijs taceam. qui eruendis e tenebris priscis authoribus: rem litterariam plurimũ illustrarunt Tu sanctissime pater Leo pon. max. magnum apud vvhitintonum crimen incurristi: q̄ proximis diebus quinq; libros Cor. Taciti: qui ferme funditus perierant: tãto auro ab interitu redemisti. Facessant ergo Varro/ Cicero/ Quintilianus et alij magnæ doctrinæ authores. Solum legamus vvhitintonum. Qui tamẽ ipse dicere maluit raro inuentum q̄ inuentu rarum.

In præfatione ad syntaxin.

whitin. Compertum habes. &c.

præfatio tumẽs et scabiosa.
Horma. Hæc tota præfatio indocta tumet et scatet arrogãtia et aperto mendatio/ in qua omnes tam ueteres q̄ neotericos præ se damnat. legat cui placet.

Foeda barbaries quasi dicas preceptor videantur.
whitin. Video vt Sisiphi erumnis succumbere et onus ethna grauius et estuosius sustinere sibi videantur grammatices ad vnum gymnasiarches.

Horma. O Aristarche: si hoc tuum: latinum est: hoc quoque latinum erit: ut præceptor grammatices onus sustinere videantur

deantur. Est enim gymnasiarches singulare primę declinationis. nec fugere potes ad tertiam.

Whitin. Elucidamenta tum soluto sermone huic opusculo addimus non igit quod ea discāt pueri sed vel quod aliquos magis iuuat soluta quam pedestris oratio. Igitur barbare positum.

Horma. Stupete eloquentiam. Quænam est hęc barbara et prodigiosa locutio? Abuteris enim turpiter. Igitur causaliter: quū sit illatinū: sed erratū nō sentit crassa minerua.

Whitin. Aliquos magis iuuat soluta oratio quam pedestris. Pedestris oratio quenā sit penitus ignorat et turpiter errat.

Horma. Hoc perinde est atque diceres aliquos magis iuuat soluta oratio quam prosa. Sed tu uidere per orationem pedestrem carmen significare, quod pedib⁹ instruatur. quum nihil sit secius. Nam hac tua lege, omnes Ciceronis orationes carmina erunt, quum pedibus currant: uide (si tibi suppetit captus) hac de re eundem Ciceronem ad. Q. fratrem. et ad Brutum de perfecto oratore. ubi discere possis pedibus ingredi orationem solutā. Audi Quintilianū. Quis dubitet Platonē esse pręcipuū siue acumine disserēdi, siue loquē di facultate, diuina quadam et homerica, multū enim supra prosam orationē et (quā pedestrē gręci uocant) surgit. vt mihi nō hominis ingenio, sed quodā delphico uideatur oraculo instinct⁹. Audi Strabonē. Quum uero pedestris id est absque metro dicatur oratio id manifestat: ut si ab excelsiore loco et uehiculo sane decurrat in planum. Quintilianus Strabo.

Whi. Insultent in me (haud dubito nonnulli) qui liuore suffecti arrogātie criminis me potius obnoxium, quā pietatis studio adductum condemnabunt. Insulto. Suffectus

Horma. Dicim⁹ insultent mihi nō in me: licet insultat me dici possit. Salustius, Multos a pueritia bonos insultauerat. Erras etiam in suffecti: pro infecti perfusi uel suffusi. Est enim suffectus alteri substitutus: ut prætor huius anni pretori superioris. vnde suffex summus magistratus apud Carthaginenses. Sed multum delectaris acyrologia. Salustius Suffex

Whi. Quāto enim iuniores tanto perspicatiores sunt homines.

Horma. Docuerūt ne te hoc stoi tui portus? Ergo ne plane fias insanus cito morere. Stulta sentētia cito morere.

Whi. Cui potissime hoc exiguum opusculum dedicare desiderem.

Horma. Sordibus totus fluis: qui potissime pro potissimū et desydero pro instituo et opto ponis. Potissime Desydero.

Whitin. Tersa quid externis posthers tui opuscula alumni

Anglia

Falsa et impudens iactantia.

Anglia an inuideas commoda tanta tulis?
Iudice te pueris si mille uolumina uoluas
Hoc tamen vtilius non reperitur opus.

Horma. O nagriuus ruct⁹. At iudice me: si mille uolumina quamlibet triuialiter scripta euoluas / tot sordes non inuenies quot in unius VVhitintoni opusculis.

Inuidie ridicula imago ab inuido depicta.

whitin. Inuide quum inuidia ringas (ego rideo) solis
Pena tibi inuidia est: inuidus esto tibi.
Estuat inuidia / turget pectus male sanum.
Eructa inuidiam rumpe vel inuidia.
Iccirco inuideas videas quod que tibi visa.
Nolles ni inuideas meme videre caue.

Horma. Inuidiam præter ipsam inuidiam tam insulse nihil potuit deliniare. Mirum quoq; poetę ingenium atq; artificium: qui vno fere uerbo sex uersus absoluit.

Rumpe fatue, pro rumpere.

whitin. Eructa inuidiam rumpe vel inuidia.

Horma. Doctus grammaticus doctus poeta: qui pro passiuo ponit actiuū. Inuidus enim execrando / rumpi debet nō rumpere. Nam inuidia est que rumpit. Itaq; meus inimicus sino inuidia rumpatur / non rumpat / nisi se.

Et pro

whitin. Zoilus at acuens dentem in te sepe caninam.

Horma. Vere Zoilus est, at productam posuit.

Meme vit. cor.

whitin Meme videre caue.

Horma. Recte. quia monstrosa omnia. Aut dic cur meme vltimam corripiat.

Author quis sit ignorat.

whitin. Nomina authorum quorum tutela hoc opusculum confirmatur.

Horma. Pessime erras: qui Diomedem / Seruium / et Priscianum authores grammatices appellas / et multo ignauius quum Sipontinum et Augustinum Datum / quum sint proprie authores grammaticæ: qui fuerunt ante obseruationem artis grāmaticæ: ut Homerus / Cicero. At eruditi, quales fuerunt Seruius et similes sunt authorum electores: tē noncapis. In synonyma.

Alludi potest.

whi. Id quod ad multiplicem lingue et sermonis varietatem non incōcinne (Vt mea fert opinio) alludi potest.

Horma. O miseram eorū sortem: qui te latine scribere habent persuasum. Alludo cuius generis verbū: an talis ut recte dicas: Id quod ad varietatē alludi potest. Nam alludere uarietati alius est significatus. Adde q; inter hæc linguæ et sermonis uidere ponere distātiā quū sit pleonasm⁹.

whitin.

whitin. Quare cum tempus in his nugis eos perterere: quasi Penelopes telam retexere considero.

Horma. Si tuo iudicio pueri in garlandensibus synonymis tempus terunt: et Penelopes telam retexunt: quid fructus quid emolumenti referent ex tuis?

whitin. Collegi ex politissimis authoribus synonyma et epitheta.

Horma. Tu ne ex politissimis authoribus collegisti: q̄ eos nunq̄ legere / nec si legisses intelligere potuisses. Iā uidete callidū et Cacinū furtū. de unis synonymis dixit. de aliis tacuit. Ego furtū prodā. circū ferunt̄ synonyma quę tulliana dicuntur. sed de authore nō cōuenit inter doctos: uerū ipsum opus longe est vvhitintoniano pręstantius. Scripsit nup Guido Fonteius multo elegantius synonyma. scripsit et epitheta Gādensis. Ex horū quatuor legitimis operib⁹ sua mendicato corrogauit vvhitintonus et in fœdā farraginē cōflauit. et dicit collegi ex politissimis autoribus: sic in omnibus tuis operib⁹ irruis in aliena malę fidei possessor. Qui tecū Stanbrigio operā dederunt / aiunt te opus de octo partib⁹ orationis ab eo furatū (mutatis in peiora aliquot particulis) titulūq; ne dep̄henderere mutasse. Nā ille nomē dedit: de examine partiū oratiōis. In quo uidere mihi uulpis astutiā belle imitari. Fertur. n. quū castor labori osa suffossiōe antrū sibi excauauerit / supueniētē uulpē / totū ipsum antrū suis excremētis conforire solere. Quo fit ut castor proluuie et fętore offensus et uictus: locū deserat vulpesq; habitandū sibi occupet. Sic tu bonorū quidē scriptorū operib⁹ / petulanter tuas fęces immisces. adeo ut desinant iustorū autorū sentimētū pre se ferre: et tuis polluta uenenis / in perniciem transeant puerorum.

whitin. Perpauca enim vocabula reperies que adeo sinonima sunt quin aliquid discriminis in vsu habent.

Horma. Et tu eorū omniū nullum penit⁹ adscribis discrimen. videte insignem hominis uecordiam popularis auræ captatricem. Dicis etiam habent pro habeant.

whitin. Unde in eorum delectu cultos authores imitandos censeo.

Horma. Magnū in tyrunculos beneficium / laborisq; remedium. Supra dixerat collegi ex politissimis. Nunc consulit: ut ad authores uestigandos reuertantur.

Ecca men[...]

Mendaciu[m] furtum imp[u]dens.

Uulpis astuti[a]

Modi abusus.

Ignauum beneficium.

Collusio cauillosa.

whitin. Ita vt inuenta vocabulorum synonyma facilior in eorum delectu fiat inuestigando labor.

Inuenta sinonima.

Horm. Pulchrum laboris leuamen. Sed quero inuenta cuius casus: & cur ita? Quod si (vt tuam eleuem culpā) dicis scribendum fuisse synonyma. Que tandem impudentia frō tem tibi perduxit in callū: vt nō erubescas profiteri: inuētam a te synonymam quam constat ante quinquies millesimum hinc annum vsurpatam.

Pietas cucullina.

whitin. In lucem antheac prodijsset hec editio si non obstitisset horatiana admonitio: & presertim calcographorum odiosa incuria. qui nostra ad vnū opuscula mendis creberrimis depravarunt. Adeo vt saturina fame: septius percitus: nostrarum lucubrationum exterminium esuriem.

Horma. O beatam esuriem: quam si explesses: multū rei literarie profueras. Calcographorum lapsus tragice execraris: pudēda errata: que nō nisi tua esse possūt: nō agnoscis

Peroratio odiosa.

whitin. Petimus igitur vos cādidi lectores: que nostra in vestram expectationem fuit pietas: vt sicubi veteranorum canum et obtrectatorum latratus audire contingat: rabidos morsus a pio opere prohibeatis.

Horma. Auscultate queso quanta cum maiestate concionē claudat orator: in qua veterator literarum veteranos canes appellat apte scilicet Epitheto. Pium opus dicit: quod non multum abest ab impio.

Barbarus sermo.

whitin. Synonyma de hac litera A.

Horma. Cur Synonyma literarum promittis qui penitus nulla tradis. Si enim me roges quot habeat synonyma A respondeo hec Aleph hebreum: Alpha grecum: & a latinum. Ita de aliis: quorum nihil adfers. at si recte tradere cupis Synonyma huic latino a conuenienter aptata: erunt eius modi. A, a a a a a. ita de aliis: hæc enim sunt synonyma tuo ingenio digna.

In Epitheta.

Insulsa oratio

whitin. Cum innumeri ferme sint variandi modi.

Horma. Tota prefatio scabies est latinitatis inops: & delirii ingenii indubitata significatio: doctrina variandi tam stolida est vt pro loq/doceat blacterare/quare nō immortalibus. Qui legat mecum sentiet.

Gelu concretū.

whitin. Maronis experientie de ortu solis/ de iride/ de gelu concreto.

Horma. Quid monstrosius dici potest q̄ gelu concretum/cū gelu sit glacies/vel aqua gelu concreta. Audi Virgiliū. Sustinet

stinet vnda rotam patule modo peruia puppi: vt concreta gelu marmoris instar habet.

Whitin. Irradians virtus fine carenda manet.

Horma. Fine carenda quale latinum. Item virtus fine caret; non finis fine.

Fine carenda virtus.

Whitin. Spernens eterna felicitate salit.

Hor. Felicitas secũdã habet ꝓductã: quã tu iepte corripis

Finis fine carens.

Felicitas secũda cor.

Whitin. Prorsus cum superis eadem sortita potestas
Uirtuti: vt nequeant posse subire neci.

Horm. Nos dicim⁹ virtus sortita est eandẽ potestatẽ cũ superis. Tu barbare eadẽ potestas sortita ẽ virtuti cũ superis

Hypallage sua.

Whitin. Ut nequeant posse subire neci

Hereticum.

Horm. Subire necẽ est mori: subire autem neci est sequi vel succedere. Vnde dicere virtutẽ nõ posse subire neci: est ipiũ & hereticũ. Taceo de satuo pleonasmo in nequeat & posse

Hereticum.

In Dialogum.

Whitin. Chare libelle vale portus habiture secundos.

Horma. Cum hæc vaticinarere non eras pontifex anni illius: sed hæc a teipso dixisti.

Omen fallax

Whitin. Nauigio augusto ditia dona vehis.

Horma. Putria poma vehis.

Jactantia.

Whitin. Super astris sit tua merces.

Horma. Dignum & iustũ est: hoc est de astris sit tua merces quã tibi repẽdent Ptolome⁹, Hali, Albumazer, & alii qui de astris scripsere. Hunc enim sensum habet super qñ ablatiuo seruit. Virgilius. Multa super priamo rogitans super hectore multa: hoc est de Priamo & de Hectore ait Donat⁹

Super cum ablatiuo perperã.

In syllabarum quantitatem.

Whitin. Secunda pars grammatices de syllaba et eius quantitate.

Horma. Hic manifestũ est non intelligere te quid sit grammatice & eius partes: vt enim alibi ridicule attulisti inscriptionem de concinnitate grammatices: ita nunc ais secundam grãmatices partem esse de syllaba & eius quantitate cũ grãmatices partes sint methodice siue horistice & historice seu etiã apologetice: & perinde ex iis artifice & ex ordine traditis: fiat grãmatices concinnatio: ad quod mun⁹ obeũdũ: tu tã apt⁹ es q̃ ãser ad trahẽda cetẽã. Cũ ne methodices qdẽ vel exiguã partẽ, sine insanie errorib⁹ attigeris.

Crassa inscitia

Whitin.

Habent pro habeant.

Whitin. Satis admirari nequeo quidnam animi habent nonnulli nunc dierũ grammatice professores.

Horma. Docilis puer habeant dixisset.

Horatiane historie.

Whitin. Comperies q̃ plurimos (apud nostrates presertim) adolescentulos qui Therẽtianas comedias/ Horatianas historias/ Tulliana officia / Vergilianam poesim probe interpretari norunt.

Horm. Docta enumeratio. Nunq̃ horatianas historias dixisses: nisi tu epitheta excogitasses.

Se probat esse asinum bipedẽ. Discernunt pro discernant.

Whitin. Et vnde id fit: nisi quod illi asini bipedes (iure sic eos appellitem) numerosam orationem a soluta non discernunt.

Horm. Tuo ergo ipsius iudicio/ asinus bipes es. qui numerosam orationem putas esse metricam. de quo paulo superius. Quum tamen causa quam adfers tam sit luculenta: q̃ q̃ ideo non sint oua crinita: quia gallus cristam habet serratam. Ponis etiam discernũt pro discernant. Sic passim modis abuteris: etiam sine ulla metri necessitate.

De accentu.

Whitin. Whitintoni editio / cum interpretamento Francisci Nigri Diomedes de accentu. in pedestri oratione potius q̃ soluta obseruando.

Hor. Portentosa oratio/ in qua. ubiq̧ cũ falso certat solœcismus de principatu. Quasi Niger posset tuis fæcibus esse interpres. Et quasi accentus in prosa frigide sit respiciendus. De pedestri oratione erras ut supra.

In uulgaria.

Grãmaticulus.

Whitin. Quum sepius mecum nonnullos grammaticulorũ instituendorum studiosos considero.

Horma. Siue a gramma / siue a grammatum / siue a grammaticus formari dicas grammaticulus / indoctissime erras contra grãmaticas regulas. Sic. n. dixeris logiculus dialecticulus astrologicul9 theologiculus: et id gen9 ridicula.

Collectaneum. Exemplariũ p exemplum.

Whitin. Collectaneum hoc quadripartitum de vulgaribus et quotidiani sermonis exemplaribus excogitauimus. Atq̧ vt alia id genus tanq̃ ad exemplarium ducta marte suo (vt dici solet) cõmodius elucubret quiuis.

Horma. Hic ad imitationem tuorum/ miseros inuitas. Sed sciant periculosam (ut ait Fabius) esse imitationem/ quãdo uicia proponuntur imitanda. Nam quæ scribis uiciosa sunt omnia. Verbi causa collectaneum ponis substantiue et singulariter et exemplariũ pro exemplũ et in quiuis orationem terminas. Deest etiam secundũ orationis membrũ.

Whitin.

whitin. Deprompsimus isthec lectoribus non tetricis/ supercilliosis et plus iusto sibi placētibus/ qui sue odiose ambitioni/ ampullate ostentationi/ et affectate curiositati/ potius obnoxii q̄ discipulorum utilitati sunt addicti.

Malus homo male de aliis sentit.

Horma. Tuis te pingis coloribus. Est enim oratio hæc fastus liuoris impudentiæ/ et inscitiæ plena: quæ quid animi habeas plane edocet.

whitin. Neq; subticere possum eorum insolentiam qui authorum imitationē preceptis anteponendam (q̄ sibi soli sapere videantur) affirmant.

Soli vndecūq; barbare posit[um]

Hormanus. Soli si datiui est casus: manifesta est barbaries quum sibi sit plurale. si nominatiui penit⁹ falsus est sensus.

whitin. Gellium sane de noctibus atticis/ cum suo Phauorino huic ceco cū obsoletis mercibus licitatores dari exoptem.

Oratio inscitiæ et fastus ad ri[sum] sum plena.

Horma. Talis est oratio/ qualis hæc. Tullium in epistolis familiaribus cū genero Dolobella iudices Catilinariæ cōiurationi dari exoptem. Et quis dubitet illum nebulonem qui ita scripsit: hunc licitatorem Cherylus alter habet: et mox mercibus at nostin quib⁹. Et rursus procul hinc optē tibi fundam: eundem esse eorum omnium artificem. Nemo etiam alius eo modo sic abutitur. est enim ubiq; sibi similis Deniq; in modorū usu et abusu nusq̄ est apud te discrimen.

whitin. Quippe qui precepta abiicienda et negligenda censuerit priscos illos et illustrissimos grammaticos Diomedem/ Donatum ꝛc. frustratos labores et quasi laterem lauisse iudicant.

Barbariei plenus nidus

Horma. Hic ter Prisciano (quod dicitur) caput fregisti. id est omnes fere cōcordantiæ regulas uiolasti. Hoc enim pollet tua oratio. Ille qui præcepta abiicienda et negligenda censuerit: priscos illos frustratos labores et quasi laterem lauisse iudicant. Aeque latinū est hoc homo qui erat claudus currūt. Hæccine est illa eloquētia ad quā nos inuitas.

whitin. Illos frustratos labores et quasi laterem lauisse iudicant.

Barbarum.

Hor. Si tuis præceptis hæc latina sunt: valeāt cū authore

whitin. Quamuis cerete cera digni.

Superba fatuitas.

Horma. Si hi quos tantopere contemnis tanq̄ insigni nota ceretæ cera tuo iudicio sunt digni: qua cæra tu dignus: nisi peregrinaria: qui in primis grammaticæ elementis ita turpiter labas.

whitin. Quantus in pueris educandis eorum error.

Cēsura insulsa.

Horma. Nullus maior esse potest error/ q̄ ut tuis fœcibus imbuantur qui congrue loqui nescis.

whitin.

Caecus de coloribus.

Whitin. Multiplici enim lectione et sese et discipulos delassant per longas et caecas imitationis ambages.

Quintilianus.

Horm. Stolide inueheris in imitationem. Quis enim regulis multum tribuamus: imitatio tamē ad profectū plurimū facit. Vnde Quintilianus. Omnis disciplinæ initia, ad propositū sibi præscriptum formari uidemus. et hercule necesse est; ut aut similes bonis, aut dissimiles sim⁹. Similem raro natura præstat: frequenter imitatio. Itaq; iusta lance tecum actum est; ut quia tersos authores imitari pro nihilo habueris: et antea præceptiones alijs tradideris q̄ ipse didiceris: nec congrue scribas, nec ornate.

Judicium insane mentis.

Whitin. Quid frustra Inachidos queris vestigia lustris
Non quesita viden sese reperta tulit.

Horma. Totum spirat impudentem et mendacem arrogantiam. Sed o ueritatis mirabilem uim, quæ te coegit uel inuitum fateri hanc diuinam artem abs te non inuētam sed repertam. Itaq; si quid frugis in tuo est opusculo nulla tibi debetur gratia: quum in eo tradendo nihil laboris nihil industriæ nihil deniq; studij a te sit exanclatum: sed omnia ab alijs furtim conuasata.

Sese vlt. cor.

Whitin. Sese reperta tulit.

Horma. Vbinam quæso erat poetæ acumem quum secundā syllabam pronominis sese corriperet. Audi Vergilium. Cui mater Media sese tulit obuia sylua.

In uulgatibus.

Whitin. Prima pars de concordantiolis.

Horma. Verū est quia parua et iniqua concordantia.

Whitin. Mi puer diligenter inuigilato his precep. trunculis.

H. Imo potius ijs indormi ut rectis p̄ceptionib⁹ inuigiles.

Refragari hoc.

Whitin. Quē inuenias (saltem expertū) qui probabili ratione hoc refragetur.

Hor. Neminē inuenies rudimēta grāmatices uel sūmis labris expertū qui diceret; hoc refragetur, sed huic refraget.

Absolutum pro absolute currere.

Whitin. Quicunque nihil absolutum legit. &c.

Horma. Pro eo quod est legēdo nihil absoluere dicis ineptissime. nihil absolutū legere. Multi enim Ciceronē et Vergilium absolutissimos legunt. sed lectionem nō absoluūt.

Admodum triuiale.

Whitin. Diuitiæ tēporariæ mihi, flos cito marcescens & caducus est visus, ubi eruditio herebit.

Horma.

Horma. Fæx est et barbaries. Hærere enim sine casu est ferẽ subsistere aut dubitare.

whitin. Aut mendicare aut latrocinari debes. Triuiale.

Horma. Hic debes nemo posuisset nisi barbarus et hebes.

whitin. Quorũ alterum miseritas alterum laqueum parit. Bella partitio

H. Bella disiũctio quasi laqueo pẽdere nõ sit pars miseriæ.

whitin. Modeste ambulare post refectionem naturalem recreat calorem. Modeste triuialiter.

Hor. Modeste nemo doctus: nisi ad mores refert tu ac corporis motum.

whitin. Frui temperata refectiuncula.

Horma. Hoc nunq̃ dixisset qui quid sit frui didicit. Frui barbare.

whitin. Pars hac pars illac fugierunt. Fugiui.

Horma. Hoc uerum est quum fugio facit fugiui.

whitin. Eruditio cum virtute exornent quenq̃. Triuiale.

Horma. Qualis est ille quisq̃?

whitin. Et pater & mater adeo sunt mihi indulgentissimi ne me castigatũ patiantur, quos igitur olim deuoueam. Barbara structura.

Hor. Quodnam est hoc loquendi monstrosum genus? Item deuoueam cur eiusmodi?

w. Rusticulus vxor sibi & mãcipiũ/mihi venienti fuerũt obuij q̃s ↄuenire hẽo. Triuiale et barbarum.

Horma. vxor sibi sino: ut VVhitintonianum sit.

whi. Dissentaneũ est vt tu et ego qui cõdiscipuli sum⁹/dissentiam⁹ inuicẽ. Inuicem.

Horma. pacatius est: ut dissentiatis inuicem q̃ mutuo.

whi. Tu et tibi cõsocius/qui et fabricare et mentiri nostis inter pharmacapolas ad antidota uendenda maxime estis idonei. Triuiale.

Horma. Ex eadem farina est.

whi. Unde quo (vbiuis) familiariter vteris amico paratissimus tibi ero. Cacosyntheton.

Horma. Elegantissima beniuolentiæ explicatio.

whi. Quisnam homo est: qui non admiretur si inde audiat. Barbarũ inde

Horma. Elegantet pro id audiat.

whi. Aduersariorum tamen pars videntur sue vicis pertesi pars autẽ quãuis vultum simulent) se honeste fore dimissos cupidi. Fetutiuum.

Hor. Hoc nõ uulgare est. sed horum et similiũ plena uenustas nõ deprehenditur nisi collato authoris uernaculo.

whi. Illa est genera patrui vel patruo. Barbarum.

Hor. O fœdam barbariem: quæ quia dicimus hic gener format sibi hęc genera generæ. Hec genera re.

whi. Socer heri vel hero/Socrus fratris vl' fratri/genera patrui vel patruo eius vel ei nouerca est senior illi. Patrimonia que illius vel illi pater auus parentes et maiores vltra memoriam hominum possederunt/is stulte perdidit/adeo vt ei⁹ vl' ei filius nepos et tota ꝓgenies & posteritas illũ deuoueãt. Acerruus barbariei.

Horma

Horma. Hæccine eſt forma imitatione digna? qua horũ caſuũ promiſcuo uſu cenſes abutendum. Faceſſat tam triſte uenenum.

Inſulſa ſententia.

whitin. Prudentie eſt inſcius qui futuroꝝ non eſt preſcius.

Horma. Sententia ſtoo portu digna. Quando ergo tu prudens eris? Adde q longe aliud eſt eſſe prudentiæ inſciũ aliud expertẽ. Sed tu eruditionis expers hęc nõ internoſcis.

Reciproci abuſus.

whitin. Rumorum eſt ita auarus / Vt ſue conuerſationis cupidus ſit nemo.

Horma. Reciproci naturam non capit iſtud cerebrũ et audet grammaticam tractare.

Reciproci barbarus et inculcatus abuſus.

whitin. Negare eſt nephas merita ſuorum bonorum operum nõ fore immẽſa. Vel ſic / refragari eſt abſurdum meritorum ſuorum premia nõ fore innumera. Quid predicem: ſancta ſue religioſe prouidentie ſtatuta: Quid cõmemorem religioſam ſuoꝝ diuoꝝ ſtatutoꝝ conſtitutionem.

Horma. Audax ſtultitia / quæ principum laudes contaminat dum eas tam lutulentis et barbaris manibus contrectat. Et (ut cætera mittam) quæ aures ferre poſſunt hanc tam crebram reciproci excarnificationem.

Theſaurus barbariei.

whitin. Sunt in noſtra vicinia fuſores campanarij / ſtannarij / plumbarij / errij. Et paulo inferius habitant ſutores veſtiarij / calcearij / caligarij / lectarij / chyrothecarij / ſutrices lintearie / et ſarctores calcearij.

Horma. Qui omnium artium et earum ſupellectilis barbara et ſordida nomina querit huc ueniat inquinandus.

Gallicani.

whitin. Legati gallicani.

Horma. VVhitintonianum eſt eloquium.

Proba vacca.

whitin. Proba frequenter vacca vitulum parit improbum.

Horma. Probum ingenium tam improba epitheta nunquã excogitaſſet.

Stercorate opes.

whitin. Cupiditas que hominem ſtercoratis opibus ſubditũ reddit.

Horma. Stercoratis opibus ruſticum barbarumq; olet.

Acyrologia.

whitin. Auarus ſumptuum eſt tenax.

Horma. Qui tenax eſt ſumptuum pertinaciter ſumptum facit et opes profundit: quod auaro maxime diſplicet. Et tuum ipſius uulgare latine ſic ſonat. auarus eſt ſumptuum refugus aut parcus. Iam uide q̃ elegãtia ſint tua uulgaria

Triuiale et impropꝛium.

whitin. Fatuus verbis adeo turgidus eſt / Vt omnia animi ſecreta ebulliat vel effutiat.

Horma. Vulgare tuum ſic ſonat fatuus ita uerborum plenus eſt et cætera.

whitin. Prudens vero affectione vacuus tacitus aurem prebet. &c.

Affectio p perturbatio.

Horm. Vulgare tuū sonat/prudēs ab impetu immunis. &c

whitin. Prudens igitur amplus emergit honoribus vbi improuidus expectatione viduus abscedit.

Acyrologia pis.

Horma. Imo expectatione plenus & honore uiduus.

whitin. Prudens cum fortune saturitate vel de saturitate est refertus/ tū est modest⁹ & sollicit⁹/qua ratiōe sui affect⁹ elationū siue ab elatiōibus sit vacu⁹

Triuiale et puerile.

Horma. Stupete eloquium cum sensus grauitate e penetralibus philosophię nati.

whitin. Haud facile dixerim vtrum reprehēsionis reprehensione vel reprehendi est dignior suarum rerum prodigus q̄ auarus.

Improprie.

Horma. Semidoctus puer dixisset vter dignior prodig⁹/an auarus.

whitin. Quot tamen ex iurisperitis inueniūtur iusti et equi iudices: aut comperiuntur fideles aduocati clientib⁹ quos non iugulet pecunia: dū copiosa superest pecunia: tecum in pedes ibunt et consistent pugiles: at consumpta pecunia sedeas vel quiescas solus vel derelictus miser. Viuas ne an mouare mendicus (amisso iure) nihilipendunt/illi/alias res agunt.

Pessimus de iudicibus et aliis iurisperitis pessime sentit

Horma. Auscultate iurisperiti/quid de fide vestra sentiat protouates/vt de scabra latinitate nihil dicam.

whitin. Hoc esset sapientissimo cuiqꝫ documento: precipiti vtilitati recordande vel ad vtilitatem recordandam.

Preceps vtilitas.

Horm. Vernaculum tuum sonat subitum auctum vi fortunarū: quem tu precipitem vtilitatem vocas. Idem verbū recordor triuialiter collocas.

whitin. In regis curia cuicunqꝫ est munus sibi opus esse perspicio: vt oculatissime sese moveretur. In primis studeat quibuscunqꝫ congruere/astu assentire/diligenter famulari: et in horas inseruire.

Hypocrisis dogma.

Horma. Hic compluribus vulgaribus formam in aula versandi tradis/in quibus omnibus adulationis/assentatiōis & callide sese insinuandi proceribus formam tradis: fideliter autem seruiendi principibus penitus nullā. Ex quibus instituti tui studiū manifeste declaras. Adde q̄ triuialibus vbiqꝫ uerbis abundas: & reciproco abuteris.

whitin Ut breuis fiam. Curia (vt ita dicam) est monstrum multorum capitū: ipso argo oculatior: tot surrigit aures/ tot linguas reserat/quot fama volans vel alata.

Pessime infamat aulam.

Horma. Macte virtute esto protouates. Merito te alit & fouet & colit aula regia: qui sic eius præconia decantas.

whitin. Plurimam salutem vobis impertio.

Horm. Hoc sic interpretaris in tuo vernaculo: deus det vobis bonam vesperam.

Desydero.

Whitin. Cedite/amouete vel amolimini parumper vos desydero vt locum capiam.

Admoneo pro admoneor.

Horm. Siderari meruisti cum hæc scriberes: sic ne abuteris desydero & pro amouemini ponis amouete.

Sententia

Whitin. Hanc sententiam non intelligo vel sentio.

Horma. Totum est barbarum: vtinam sentires tue orationis sentinam.

Triuiale

Whitin. A preceptore vel preceptoribus exularunt aliquot perditi q̄ ab eo vel ei vapulare repugnant.

Horma. Triuialis & turbine digna farina.

Barbarum

Whitin. Paululo ab eis vel eis veniunt alius gratia et a sua proteruitate facti sunt stulti.

Olet turpiter scortatorem.

Horma. Qui tuum legerit hic vernaculū censebit te stultū

Whitin. Sic me complectitur vel sic ab ea complector vt vestigia (diu post nutibus inhereant.

Horma. O dedecus cleri: quid hic tibi proferam: qui tuū imprudens vernaculum legerit videbit quomodo sis affectus.

Triuiale

Whitin. Dum is interpretatur Ciceronianam lectiunculam: vel dū Ciceroniana lectiuncula ab eo interpretatur: a illi hinc me subducam.

Horma. Quid triuialius: quid indoctius dici potuit: q̄ interpretari Ciceronianam lectiunculam.

Insulsum.

Whitin. Multis me eruditionibus precucurrit mea laboriosa industria.

Horma. Fieri non potest id nisi arrogante præsumptione & pedum fortasse velocitate.

Hypallage

Whitin. Si clamorem perpeti non possis vel panniculo auriculas infercito.

Infertio

Horma. Amens est qui panniculo auriculas infercit: quem potius panniculum auribus infercire debet. Prudētius iuuat infarcire crumenis turpe lucrum. Proinde aures panniculo refertio: & auribus panniculum infertio.

Fetutiuum

Whitin. Tue mundicie eius specimē mirentur omnes.

Horma. tuam inscitiam mirari possunt omnes: tam insipide vbiq; modis abuteris. Adde q̄ genitiuus ille absolute ponitur ad tuum dogma.

Cultus pro honestus

Whitin. Tuo cultui ipsi vah obiiciant vniuersi.

Fetutiuum.

Horma. Eadem farina. Sed nemo in ijs & plerisq; alijs tue orationis cultum potest consequi: nisi qui vna vernaculum legerit. Tūc enim videbit stupendum ingenij vastimētum:

vti hic

vti hic pro honesto ponas cultum.

whitin. Culturam eam laudabit vnusquisq;. Cultura

Horma. Hæc cultura sapit arattrum.

whitin. Quisquis fruatur tua conuersatione: quippe qui bonis moribus perin Frui
de ac ouum farine auenatie scates. Conuersatio

Horma. Farina est admodum triuialis & barbara.

whitin. Esto bono animo virgam ex salicto factam tibi/nodis refertã nuper Rusticum
vidi operepreciũ foret pueros aspicere. Salictum pro

Horma. Rustica rustice mentis expositio. Salicto quoq; ab- salix.
uteris: cum sit locus salicum.

whitin Intrepidũ qui grauiter ad rem accingitur summo amore prosequor Barbarum
vel afficio.

Horma. Grauiter & afficio abuteris.

whitin. Si meo consilio consultans audiens fueris: caue ab hoc homine. Insipidum

Horma. Consilio consultans tuum est eloquium.

whitin. Quicquid autem recipit abs quopiam nunq̃ redditur. Recipit ꝓ rapit

Hormanus. Vult tuum uulgare vt pro recipit rapit posu-
isses.

whitin. Nec ad alia mala hoc sit accedit: tibi in eum meritissimo bene dice- Reciproci abu-
re nolit. sus.

Horma. Abusus reciproci: & in verbi modo. Triuiale

whitin. Accedas hominẽ mei periculo: ei etenim ad omnia respõdere haud Mei pro meo
impar es propius accedas ad eum.

Hormanus. Mei periculo: fugiant pueri hanc eloquenti-
am.

whitin. Itane imposuit nobis. Age humeris sibi decẽ minarũ onus imponã Reciproci abu-

Horma. Nunq̃ desinis incautis imponere discipulis. sus.

whitin. Dicam e summo tribunali ei comparaui: quã quidem sibi graui sum Sibi infaustũ
ptu compararet tandem.

Horma. O infelix sibi quod vates ita torquet: sed si ridere
libet vide vernaculum.

whitin Adeo vt si decem minarum munus ei dare valerem / illo non indi- Modi abusus.
gnus est.

Horma. Hic inter ceteram barbariem: vt modo iungis indi
catiuo.

whitin. Medici admonitione (vel ab admonitione) vaco. Vaco barbare.

Horm. Id quod nos dicimus Medici consilio careo: & quod
tuum poscit vernaculum.

whitin. Neq; per negocia vacat mihi consulere remedio. Consulere re
medio.

Horma. Quis amens consulit remedio cũ sibi sit cõsulẽdũ.

Totus grõ toti. Whitin. Beneficentia in me parentibus (vel parentes toteq cognationi vel cognationem) prestat.

Hor. Hoc tu sic scribis quasi totus in genitiuo habeat tote

duro triuialiter. Whitin. Preceptor me vndiq cecidit dum in manu durauit virga.

Horma. At tu fustuario dignus qui sic grammaticen excarnificaris.

Adeo ne barbare. Whitin. Nates cecidit adeo ne cutis in his sana relinquatur.

Horma. Adeo ne quenam barbaries?

Whitin. Adeo constipantur plage: vt vix aliũ cedat alia.

Horma. In eodem luto volutaris.

Parsi sibi rancidum. Whitin. Propterea q mihi tantopere fauet. Antidotum (quod huic septẽnio cum afficiet) parsi sibi

Horma. O rancidã eloquentiã & semper in reciproco erras

Triuiale Whitin. Tantum alter ab altero distabat quantum a Londino ad narele soli interest: que centum miliaribus inter sunt.

Horma. Hoc ne putas dignum imitatione?

O infelix sibi Whitin. Erit sibi documento perpetuo ne maiori vel cũ maiore sese conferat.

Horma. Vtinam tibi documẽto aliquid esse posset / quo minus sibi tam turpiter abutereris.

Pauciora pro paucioires. Whitin. Nõ pauciora duodecim sannis illi vel in eũ cõtulit anteq̃ prefecerit

O sannio dicimus / hæc sanna / quale ergo latinum? Nõ pauciora duodecim sannis illi contulit. Erras etiam in vernaculo accomodando.

Whitin. Non parum sibi conferet si sapit.

Reciproci abusus. Horma. Erras iterum in reciproco.

Extulit barbare Whitin. Linacrus galienum e greca lingua in latinam (et stilo quidem cultissimo) extulit nuper.

Horma. Extulit ne humeris; hic videre omnia a fero composita sepelire velle.

Detulit barbare. Whitin. In qua eruditione multa in vel ad lucem detulit.

Horma. Eruditissimum ineruditissime extollis.

Distulit barbare. Whitin. Hoc volumẽ miro ordine distulit.

Horma. Distulit accomodatum verbum ad distinctionem.

Whitin. Nec hanc editionem precipitauit imo in multos annos non imprudenter distulit.

Horma. Cur ergo meam tarditatem accusas? Tu quoq ita consulte fecisses.

Triuiale Immoratus insulse. Whitin. Nostra tyrunculorum permagni est moribus imbui. Vulgo enim dicitur prestãt puerum non natum q̃ immoratum esse.

Horma. Nostra tyrunculorum /hanc locutionem non probat valla. Tu quoqꝫ immoratum excogitasti verbum tua vena dignum.

whitin. Quicquid imbibit tenera etas (probum ne: an improbum sit) idem in prouecta etate subolet.

Barbarum

Horma. Ne & an improbe collocas.

whitin. Preceptori (imprimis) congruit: conuenit: expedit vel incumbit eius scientie quam profitetur esse satis experto.

Ex ore tuo te iudico.

Horma. At tibi contigit eius esse expertem.

whitin. Et tamen nobis indies cernere patet: vel licet quo pacto docendi minus arrogant complures: quibus discere prestaret.

Cernere pat

Horma. Hoc inprimis tibi præstabat fecisse. Si enim dignꝰ esses eo munere non dixisses. Nobis indies cernere patet.

whitin. Summatim vt agam preceptorem precipue decet: immo oportet vbiuis (et presertim) coram discipulis seueritatem seruare et pre se ferre.

Seueritas pro maturitas

Horm. Phalaridis est hec philosophia Multa tradis de preceptoris & discipuli officijs tam insulse & barbare: vt tedeat ijs immorari.

whitin. Pueros delectare solet et cupido vult.

Cupido vult

Horma. Hoc tersum est latinum cupido vult pro gaudent pueri. vide vernaculum.

whitin. Rursus (rurestri more) vagis esse oculis.

Rurestris mo

Horma. Rurestris quia id finxit Apuleius aliquid habet refugij. Taceo euphoniam.

whitin. Sit igitur sermo epularis honestus: modestus: facetus: auditu delectabilis. non (suspitioni obnoxius) intellectu difficilis. non auditu ꝙ dictu molestius: immo (generatim) cognitu potissimum.

Foeda barbaries.

Horma. Putas ne doctos euasuros pueros? Si ad imitationem tui dicant: Sit sermo molestius: imo generatim cognitu potissimum.

whitin. Uerum cum vt arboribus folia indies mutentur mores: moribus vel mores (pro tempore) approbatis: propius accedere sese comparet puer.

Fatuum simile

Horm. Mira vis ingenij/ que tale effodit simile/ quasi vt mutantur mores/ ita quotannis querna folia colore & figura mutentur: & non semper eundem seruent tenorem. Necessum est ut huic ingenio adsurgant musæ.

whitin. Moribus vel mores (pro tempore) approbatis: propius accedere sese comparet puer.

Institutio praua.

Horma. Dic mihi magister grammatices/ dic mihi magister in artibꝰ

Barbaries

in artibus in vtopia create: dic mihi o protouates Angliæ: quale hoc latinum moribus vel mores approbatis. Sed tua stultitia fatigat solem.

Ex immenso tuorum errorũ pelago: hæc pauca tibi proponere volui: vt noscant homines: me talem tibi diem dixisse non ex animi vicio, aut priuata offensa (quæ tamen satis cõtumeliosa fuit) sed potius vt rei literariæ: quæ tuis pessimis auspicijs ferme pessum ierat, suppetias ferrem. Idq; asserere paratus sũ, nihil penitus in tuis vulgaribus esse reliquũ (modo tuum sit) quod puerum didicisse profuerit. Abyssum vero errorum, quibus tua scatet grammatica: nihil attigi. Superant enim numero & vicijs omnem modum, nisi apud eum, cui vel suppetit ocium ad horas male collocãdas: vel ad id agendum. Diuitis stipendij proposita est conditio. Argumento sit, q in primo grammatices vestibulo, & in eius ipsius grammatices definitione, turpiter per inscitiam erraueris: dicens grammatica cõponi ex gramma: & ita quo dici potest nihil ridiculosius. Restat hoc solũ: vt duplici epigrammati: quo mea vulgaria celebrasti vnum reponam in tuorum omnium operum præconium.

Epigramma in opera vvhitintoniana.

Quisquis in illius vatis, qui nomine protos.
  Dici vult Anglis: dogmate fidis homo:
Ex his quę scripsi, poteris bene noscere: qualem
  Ad claras artes legeris ipse ducem.
Præcipit hic alijs, quem nil didicisse patescit:
  Quod puero prosit, quod ue virum deceat
Nanq; nocet: secumq; trahit pars magna venenum
  Quo puer imbutus vix resistre potest.

LONDINI IN AEDIBVS PYNSONIANIS. AN. M. D. XXI.



IN BOSSVM.

Qui prior ense ferit, miser ense perit, prior ipse